INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXIX

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. WILH. WEISSBRODT OBSERVATIONUM IN SENATUSCONSULTUM DE BACCHANALIBUS PARTICULA I.

BRUNSBERGAE, 1879.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Observationes in senatusconsultum de Bacchanalibus.
Particula I.

In praefatione libri qui inscribitur: ‚*Senatusconsulti de Bacchanalibus sive aeneae vetustae tabulae musei Caesarei Vindobonensis explicatio*' prodiitque Neapoli anno MDCCXXIX, Matthaeus Aegyptius narrat haec:

„*Quum anno superioris saeculi XL.* (MDCXL) *Joh. Baptista Cigala, Tirioli in Bruttiis dominus, aedes sibi praetorias a fundamentis excitaret, forte accidit, ut inter fodiendum plurima antiquitatis vestigia, columnarum scapi, integri, fracti, bases, zophori et epistylia egererentur . . Quum vero ambigeretur, an rudera illa ad excisam aliquam Graecorum urbem, an ad Romanorum coloniam pertinerent, commodum reperta est aenea tabula, quaquaversum fere pedalis, in qua Latinis litteris, rudibus tamen, incisum erat Senatusconsultum, quod Romae de Bacchanalibus coercendis factum est . . . . Tandem hoc insigne et nullo non pretio aestimabile eruditae antiquitatis monumentum clariss. eques Pius Nicolaus Garellius, Caes. Majestatis CAROLI VI. semper Augusti medicus primarius ac bibliothecae Praefectus . . . effecit ut a privatis ad Augusteos lares transferretur: operam suam commodante amplissimo Praeside Cajetano Argentio, qui facili negotio abs memorato Tirioli Principe, viro spectatae erga CAESAREM fidei, obtinuit.*“ Dicit annum MDCCXXVII. Si addis quae narrant E. von Sacken et Kenner, *die Sammlungen des k. k. Münz- und Antiken-Cabinetes*, Wien 1866 pag. 114: „*1846 von der k. k. Hofbibliothek im Tauschwege an das k. k. Münz- und Antiken-Cabinet abgetreten. Es wurde im vorigen Jahrhundert in einen prächtigen, mit Gold und Perlmutter ausgelegten Schildkrot-Rahmen gefasst, welcher die Widmung an den Kaiser enthält*“, habes praeclarissimi monumenti historiam.

Ediderunt multi, quos enumerare nihil attinet, accurate pauci; in horum numero ne ii quidem habendi sunt, quibus quotidie aes ipsum inspicere licet, von Sacken et Kenner; nam v. 2 praenomen Minucii fingunt *CL*, v. 15 *POBLICOD*, vv. 16. 28 *EXTRAD*, 27 *VTEIVE* scribunt; omnibus his locis de lectione constat.

In censum igitur pauca tantum exempla veniunt, velut Matthaei Aegyptii MDCCXXIX, Stephani Endlicher (*Catalogus Codicum philologicorum latinorum bibliothecae Palatinae Vindobonensis* MDCCCXXXVI), Friderici Ritschl (*Priscae latinitatis monumenta epigraphica* tab. XVIII), Theodori Mommsen (Corpus inscr. lat. I. 196).

Hi quattuor editores de paucissimis tantum locis dissentiunt. Ita in imaginibus tabulae, quas Aegyptius et Endlicher exhibent, v. 6 pro *O* littera in verbis *NOSTER* et *COSOLERETVR* legitur *D*, et v. 12 in *NEQVE VIRVM* diserte *O* pro *Q* Aegyptius pp. 157 et 138 testatur.

Sequitur textus.

Senatusconsultum q. v. de Bacchanalibus anni 186 ante C. n.

Q MARCIVS · L · F · S · POSTVMIVS · L · F · COS · SENATVM · CONSOLVERVNT · N · OCTOB · APVD · AEDEM
DVELONAI · SC · ARF · M · CLAVDI · M · F · L · VALERI · P · F · Q · MINVCI · C · F · DE · BACANALIBVS QVEI · FOIDERATEI
ESENT · ITA · EXDEICENDVM · CENSVERE · NEIQVIS · EORVM · SACANAL · HABVISE · VELET · SEI · QVES
ESENT · QVEI · SIBEI · DEICERENT NECESVS · ESE · BACANAL · HABERE · EEIS · VTEI · AD · PR · VRBANVM
ROMAM · VENIRENT · DEQVE EEIS · REBVS · VBEI · EORVM · VTR A · AVDITA · ESENT · VTEI · SENATVS
NOSTER · DECERNERET · DVM · NE · MINVS · SENATOR BVS · C · ADESENT · quom eA RES · COSOLERETVR
BACAS · VIR · NEQVIS · ADIESE · VELET · CEIVIS · ROMANVS · NEVE · NOMINVS · LATINI · NEVE · SOCIVM
QVISQVAM · NISEI · PR · VRBANVM · ADIESENT · ISQVE · DE · SENATVOS · SENTENTIAD · DVM · NE
MINVS · SENATORIBVS · C · ADESENT · QVOM · EA · RES · COSOLERETVR · IOVSISENT · CE*N*SVERE
SACERDOS · NEQVIS · VIR · ESET · MAGISTER · NEQVE VIR · NEQVE · MVLIER · QVISQVAM · ESET
NEVE · PECVNIAM · QVISQVAM EORVM · COMOINEm hABVISE · VE*LET* NEVE · MAGISTRATVM
NEVE · PROMAGISTRATVO · NEQVE · VIRVM NEQVE MVLIEREM QV IQVAM · FECISE · VELET
NEVE · POST HAC · INTER · SED · CONIOVRAse neve · COMVOVISE · NEVE · CONSPONDISE
NEVE · CONPROME SISE VELET · NEVE · QVISQVAM FIDEM · INTER · SED · DEDISE · VELET
SACRA · IN · DQVOLTOD · NE QVISQVAM · FECISE · VELET · NEVE IN · POPLICOD · NEVE · IN
PREIVATOD NEVE · EXSTRAD · VRBEM · SACRA · QVISQVAM · FECISE · VELET · NISEI
PR · VRBANVM · ADIESET · ISQVE · DE · SENATVOS · SENTENTIAD · DVM · NE · MINVS
SENATORIBVS · C · ADESENT · QVOM · EA · RES · COSOLERETVR · IOVSISENT · CENSVERE
HOMINES · PLOVS · V · OINVORSEI · VIREI · ATQVE · MVLIERES · SACRA · NE · QVISQVAM
FECISE · VELET · NEVE · INTER · IBEI · VIREI · PLOVS · DVOBVS · MVLIERIBVS · PLOVS · TRIBVS
ARFVISE · VELENT · NISEI · DE · PR · VRBANI · SENATVOSQVE · SENTENTIAD · VTEI · SVPRAD
SCRIPTVM · EST · HAICE · VTEI · IN · COVENTIONID · EXDEICATIS · NE · MINVS · TRINVM
NOVNDINVM · SENATVOSQVE · SENTENTIAM · VTEI · SCIENTES · ESETIS · EORVM
SENTENTIA · ITA · FVIT · SEI · QVES · ESENT · QVEI · ARVORSVM · EAD · FECISENT QVAM · SVPRAD
SCRIPTVM · EST · EEIS · REM · CAPVTALEM · FACIENDAM · CENSVERE · ATQVE · VTEI
HOCE · IN · TABOLAM · AHENAM · INCEIDERETIS · ITA · SENATVS · AIQVOM · CENSVIT
VTEIQVE · EAM · FIGIER · IOVBEATIS · VBEI · FACILVMED · GNOSCIER · POTISIT · ATQVE
VTEI · EA · BACANALIA · SEI · QVA · SVNT · EXSTRAD · QVAM · SEI · QVID · IBEI · SACRI · EST
ITA · VTEI · SVPRAD · SCRIPTVM · EST · IN · DIEBVS · X · QVIBVS · VOBEIS · TABELAI · DATAI
ERVNT · FACIATIS · VTEI · DISMOTA · SIENT · IN · AGRO · TEVRANO

Interpretare sic:

Q. Marcius L. f. Sp. Postumius L. f. consules senatum consuluerunt nonis Octob. apud aedem Bellonae. Scribendo adfuerunt M. Claudius M. f., L. Valerius P. f., Q. Minucius C. f. — De Bacchanalibus iis, qui foederati essent, ita edicendum censuere. Ne quis eorum Bacchanal habuisse vellet. — Si qui essent, qui sibi dicerent necesse esse Bacchanal habere, ii ut ad praetorem urbanum Romam venirent, deque iis rebus, ubi eorum verba audita essent, ut senatus noster decerneret, dum ne minus senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur. Bacchas vir ne quis adiisse vellet civis Romanus, neve nominis Latini, neve sociorum quisquam, nisi praetorem urbanum adiissent, isque de senatus sententia, dum ne minus senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur, iussissent. Censuere. Sacerdos ne quis vir esset. Magister neque vir neque mulier quisquam esset. Neve pecuniam quisquam eorum communem habuisse vellet. Neve magistratum neve promagistratu neque virum neque mulierem quisquam fecisse vellet. Neve posthac quisquam inter se coniurasse neve convovisse neve conspondisse neve compromisisse vellet. Neve quisquam fidem inter se dedisse vellet. Sacra in occulto ne quisquam fecisse vellet. — Neve in publico neve in privato neve extra urbem sacra quisquam fecisse vellet, — nisi praetorem urbanum adiisset isque de senatus sententia, dum ne minus senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur, iussissent. Censuere. — Homines plus quinque universi, viri atque mulieres, sacra ne quisquam fecisse vellet, neve interibi viri plus duobus mulieribus plus tribus adfuisse vellent, nisi de praetoris urbani senatusque sententia, ut supra scriptum est. — Haec ut in contione edicatis, ne minus trinum nundinum, senatusque sententiam ut scientes essetis. — Eorum (scilicet senatus) sententia ita fuit: Si qui essent, qui adversum ea fecissent, quam supra scriptum est, iis rem capitalem faciendam censuere. — Atque ut hoc in tabulam aeneam incideretis, ita senatus aequum censuit, utque eam figi iubeatis, ubi facillime nosci possit. — Atque ut ea Bacchanalia, si qua sunt, extra quam si quid ibi sacri est, ita ut supra scriptum est, in diebus decem, quibus vobis tabellae datae erunt, faciatis ut dimota sint in agro Teurano.

De Bacchanalibus confer Livium XXXIX cap. 8—19. Anno CLXXXVI a. C. n. a consulibus de coniuratione, cui Bacchi sacra ansam praebuerant, quaesitum est et per totam Italiam missa sunt edicta, quorum unum ad nostram aetatem pervenit. Iam vero locos aliquot in disceptationem vocemus, ex virorum doctorum thesauris nostroque sacculo depromentes et nova quaedam et vetera.

Caput I.

De textu; quid scalptor peccaverit.

Ac primum quidem cum non Romae, sed in agro Teuranorum ea, quae in tabellis (v. 29), i. e. in epistula, scripta erant, in tabulam aeneam incisa sint, incertum est, num is, qui incidit, Latine scierit; fortasse Graecus fuit. Potest etiam, ut scriptura epistulae difficilis lectu fuerit. Idcirco haud miraremur, si in hac tabula saepius, quam in legibus repetundarum, agraria plurimisque eius vel inferioris aetatis inscriptionibus publicis peccatum esset. Eiusmodi igitur lapsus, priusquam de latinitate exponamus, notandi sunt.

Quamquam hoc genus permultas habet difficultates. Religiosissime enim cavendum est, ne ubi noster sensus menda quaedam deprehendisse videatur, ab omni latinitate abhorrentia, praeiudicata nos fallat opinio, cui si quid indulserimus, fieri non poterit, quin genuinum prisci sermonis colorem oblitteremus.

1) Certe Mommsenus, quamvis magna summi viri etiam de priscae latinitatis studiis optime meriti cum apud omnes tum apud me sit auctoritas, mihi non probavit quod vv. 9 et 18 pro eo, quod in aere legitur IOVSISENT, scripsit IOVSISET, assentiente Weissenbornio in commentariis Livianis XXXIX cap. 18.

Equidem vix crediderim fabrum duobus locis, qui novem versuum intervallo inter se distarent, in eadem formula[1]) peccavisse, cum praesertim reliquorum verborum, quae quidem singulari numero efferenda essent, omnium recte inciderit singularem numerum. Repetere hic liceat, quod olim alio loco contendi, *κατὰ σύνεσιν* illud IOVSISENT scriptum esse et plurali numero non solum praetorem, sed etiam senatum vel centum senatores indicari. Sane nostro sensui et consuetudini scriptorum optimae aetatis ista repugnat licentia, sed aliquanto tolerabilior mihi esse videtur, quam quae in Tarraconensi titulo C. I. L. II. 3570 a nullo quod sciam in suspicionem vocatur: *M. Sempronius Hymnus* *s u o* *et M. Sempronі Reburri, f i l i s u i, n o m i n e macellum vetustate conlabsum sua pecunia r e s t i t u e r u n t itemque et mensas lapideas p o s u e r u n t*, etsi in huiusmodi formulis frequentius omnis aetas singulari numero usa sit, velut C. I. L. II. 1474: *Caecilia Trophime statuam pietatis s u o et Caecili Cilonis, mariti sui, nomine, poni i u s s i t.* Cf. 1951, 2007. Contra idem multitudinis usus statuendus est in Africana inscriptione apud Guérin, voyage archéologique dans la régence de Tunis vol. II. N. 490: *Q. Calvius Rufinus aedilis sumptu suo et T. Aeli Anni Litori quondam collegae sui ob honorem aedilitatis ... fecerunt*[2]). Noli igitur duo illa senatusconsulti IOVSISENT temptare.

---

[1]) Videsis excursum I.

[2]) Non de industria, sed oscitanter M. Tullius Cicero videtur scripsisse haec: *Commemoratio tua paternae necessitudinis benevolentiaeque eius, quam erga me a pueritia contulisses, incredibilem mihi laetitiam attulerunt* (ad Fam. X, V). Lambini coniectura, Ciceronem *attulerat* edidisse, iure ab Halmio spreta est. Sed locus in Latinis litteris non habet, quocum conferatur.

Ut unum, quod capiti II. reservare poteram, nunc iam, ne de eodem verbo bis dicendum sit, praecipiam: IOVSISENT vv. 9 et 18 non *befehlen*, sed *für Recht erklären*, *genehmigen*, *erlauben* interpretabimur. Senatus enim et praetor urbanus nemini Bacchanalia ut habeat imperant, sed iis tantum, qui aliqua religione obstricti sint, permittunt ea sacra facere, ita ut ne quid contra leges fiat utque crimina praecaveantur. Apte igitur Livius ipso *permittendi* verbo utitur lib. XXXIX cap. 18: *Si quis tale sacrum sollemne et necessarium duceret, nec sine religione et piaculo se id dimittere posse, apud praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum consuleret; si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret* .... Veriloquia, quae viri docti, e quibus Scaligerum, Corssenum, Benfeyum honoris causa nomino, in medium protulerunt, in Ernesti ab Leutsch *Philologischer Anzeiger*, *Gottingae 1873* percensui. Hoc tantum constat, *ius* verbo *iubendi* subesse; unde illud *be* ortum sit, non liquet.

Ceterum, ut paullum excurram, verbum *iubendi* in eo genere, quo qui leges scribunt utuntur, populi magis quam senatus esse, notum est; populus iubet, senatus censet. Proprietatis vero cuiusdam quae inde manavit sermonis viri docti, qui de collocatione verborum *senatus populusque*, *populus senatusque* disseruerunt, Theodorus Mommsen (zum Dekret des Aemilius Paullus, Hermes III. 262—65), Aemilius Huebner (ibid. p. 253), Henricus Jordan (ibid. p. 459), Otto Hirschfeld (V. 298) nullam rationem habuerunt. Cum enim senatus et populus una iubent, verbo *iubendi*, ut quod non tam senatus quam populi voluntatem indicet, proxime illud *populus* collocatur. Eiusmodi locos praeter monumenti Ancyrani II v. 1, ubi leguntur haec: *patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus* enotavi hos quinque: Cic. Verr. act. II. lib. III. cap. VIII: *Prudentissimi viri, summa auctoritate praediti, quibus senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatem permiserat populusque Romanus idem iusserat, nomen Hieronicae legis mutare noluerunt; tu, homo minimi consilii, nullius auctoritatis, iniussu populi ac senatus, . . totam Hieronicam legem sustulisti?* Lib. II. cap. IV eadem formula ad rempublicam Mamertinorum transfertur: *qui iniussu populi ac senatus proficiscerentur.* Liv. I. 49, 7. *Tarquinius Superbus .... bellum, pacem, foedera, societates per se ipse, cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus fecit diremitque.* Item in epitome libri LXIV: *Calpurnius Bestia . . . pacem cum Iugurtha iniussu populi et senatus fecit.* Sed XXXVII, 55, 3: *senatus ... pacem servandam censuit et paucos post dies populus iussit.* Cum etiam XXXVII, 45, 14 *senatus populusque Romanus pacem comprobaverint*, pax *iniussu populi senatusque* a Calpurnio Bestia facta ad idem illud zeugma referenda est. Denique apud Ciceronem de off. III, 30, 109 legitur: *iniussu enim populi senatusque fecerant.* Repetii haec, uno loco adiuncto, ex excursu altero *Spicilegii in agro publico populi Romani*, qui casu factum est ut paucis tantum illius commentationis exemplaribus adderetur.

2) Quid de SENATOR BVS v. 6. faciendum sit, nescio. Mommsenus, Huebnerus (p. 607 sub *I omissa*), alii ad licentiam illius aetatis eiectam vocalem revocant; equidem neque in ulla scaenicorum poetarum mensura, neque in inscriptione ulla vocalem illam *i* dativi vel ablativi pluralis extritam me invenire memini. Accedit, quod inter litteras R et B aliquid spatii vacuum relictum est.

Item *i omissam* putat Huebnerus in OINVORSEI v. 19 (p. 607). Lachmannus quoque (Comment. in Lucretium p. 230) *oinvorsei* enuntiat et *undecim*, *unanimus*, *unoculus* tamquam similia affert. Idem Ritschelius censet opusc. IV 173, ubi tamen de SENATORBVS dubitat: *nisi hoc peccatum est a scalptore*, et 489: *mag ein oinvorsei noch so rauh lauten, aber es lautet doch.* Etiam Corssenus *Aussprache* cet. II 580 docet sic: *ein aus dem auslautenden O von o-Stämmen abgeschwächtes i ist geschwunden in oin-vorsei.* Vide tamen, ne aliter enuntiandum sit. Nam *undecim*, *unoculus*, *unanimus* ab *oinvorsei* eo differunt, quod consonantes *nd* in aliis quoque verbis consociatae saepissime occurrunt, utputa

faciendum, unde, atque purae vocales in *uno-oculus* et similibus sine ulla difficultate coalescunt. Ipse Lachmannus non negat, Plautum semper *univorsus* quattuor syllabis dixisse. Mihi OINVORSEI quoque quattuor syllabis efferendum videtur *oinuorsei.*

Quemadmodum enim prisci Latini *Oinumama* dixerunt (i. e. *Ἀμαζών*) apud Ritschelium in tab. XCVIII, apud Mommsenum N. 1501, sic etiam in ceteris substantivis adiectivisque, quae eodem modo sunt composita, *u* antiquius quam *i* fuisse consentaneum est. Faciendum igitur erat *oinuvorsei.* Sed ante saeculi septimi u. c. exitum neminem invenio, qui *uv* enuntiare valuerit[3]). Ita factum est, ut duo illa elementa coaluerint sic: *oinuorsei.* Id quod evidens est in sententia Minuciorum anni DCXXXVII

---

[3]) Antiquissimum immutatae consuetudinis vestigium agnosco in epitaphio Cupienniae Tertullae C. I. L. I. 1051, ubi exaratum est FVVEIT, i. e. *fuveit,* quam scripturam, i. e. *v* consonantem enuntiatione duabus vocalibus insertam, postea plus viginti variarum regionum tituli sequuntur. Mommseni et Huebneri interpretatio *fuueit* haud magis stare poterit, quam Schoellii (Legis duodecim tabularum reliquiae p. 85) coniectura, ut in his reliquiis *duuit* legeretur, grammaticorum doctrina, Accii auctoritati obsecutorum, institutum esse; equidem pronuntiationem *duvi* statuendam esse puto. Nam quod Schoellius, ut altera alteram formam tueatur, addit, ne rationem quidem pati, ut FVVEIT legamus *fuveit,* nisi forte probabile ducas, radicem aliquam secum ipsam componi: parum reputare videtur ille, non de radice iterata agi, sed de euphonia vulgi, vel ut rectius dicam, de rationibus facilius enuntiandi, quas imperitorum hominum scribendi licentia sua sponte, nullis grammaticorum normis temperata, sequitur; *uu* autem lectio ut mihi probetur, etiam *a* et *e* vocalium indicia in duodecim tabularum reliquiis requiro; cum enim Accius tres vocales geminaverit, non liquet, cur duarum istarum, si una *uu* servata sit, nec vola nec vestigium extet.

De universa autem horum elementorum *ov* ante vocalem, *vo, uo, uv, uu, vu* condicione sic iudico, primum, i. e. inde a saeculo septimo exeunte, sermonem latinum *uv* admisisse, sive ea *v* radicis erat, sive euphoniae causa posita; deinde binas vocales, *uu,* ut *vacuus,* frequentasse, diutissime autem *vo* tenuisse raroque *vu* toleravisse; grammaticos tantum, qui in declinatione et nominis et verbi inde ab Augusti temporibus analogiae se addixissent, confudisse tria illa genera, ut *vivont* et *cervos* et *arduus* et *minuunt* et *Barbula* et *Scaevola* non iam differrent. Nimirum non perspexerant, interesse aliquid, utrum duae *V* ad duas syllabas pertinerent, an unam. Exemplis, quibus in indice scholarum aest. anni MDCCCLXXII p. 17 sqq. rem illustravi, nunc adde *Hadrianus Ant. Aug. Pius divos pater suus* ex annalibus instituti archaeologici 1857 p. 319, *mavolt, aevom, tuum, tuus* ex Africana inscriptione apud Guérin, voyage archéologique I. p. 313. Cf. inscriptionum regni Neapolitani a Mommseno collectarum N. 4602, 2529, 3528, 2096, Henzeni syllogae N. 6428, 6404, 7321, C. I. L. II. 2633 cet.

Elegantiores quidam homines iam Augusti aetate *vo* ut rusticum abominabantur, *vu* ubique intrudebant. Hinc ducenda sunt, quae in fastis consularibus Capitolinis offendimus: *Vulscus* cognomen ad annum 354, *Vulso* ad annos 303, 349, 352, 354, 498, 504, 565, 576 et in actis triumphalibus anni 498, ibidem *Vulcientib*(us) ad annum 474, *Vulsiniensibus* 490, cum aliis in inscriptionibus VOLSO servatum sit, velut I. R. N. 2660.

Tertio demum et quarto post C. n. saeculo novicia scribendi ratio serpsit latius. Itaque *Volcacius* nomen, quod olim fuerat (I. R. N. 5047, 3865, 7080), vel *Volcatius* (sic in fastis Venusinis ad annum 721), in *Vulcacius* mutatum est C. I. L. III. 4180 et Ephem. epigr. III. p. 78; utroque loco, in albo ordinis Thamugadensis et in Savariensi dedicatione, idem vir nominatur, qui apud Ammianum quoque *Vulcacius* est (Cf. Mommsen Eph. l. l.), consul anni 347 p. C. n. — Tituli Volceiis positi antiquiores (I. R. N. 213. 218. 382. 2630) habent *Vo,* sed qui Constantinum memorat (I. R. N. 216), *Vulceianae* civitatis mentionem iniicit. — Episcopus, cui nomen *Quod vult Deus,* decessit anno 364 p. C. (I. R. N. 2054).

Sed ne iusto longius rem persequar, hoc unum adiicio, quod omnes, qui de genetivo in *ii* commentati sunt, atque adeo Ritschelium opusc. IV. 624 fugisse videtur. Epitaphium videlicet P. Paquii Scaevae, in quo qui honores enumerantur, maximam partem Henzeno iudice (ad N. 6450 syllogae Orellianae) ad aetatem anno 727 (27 a. C. n.) priorem pertinent, et Flaviae uxoris duas illas novas scripturas praebet coniunctas, *ii* et *quu*: *Paquii, aerarii, filii, reliquum.*

(C. I. L. I. 199, Ritschl tab XX). Ibi SVRSVMVORSVM extat v. 15; cum vero *m* consonans, in quam prior vocabuli pars exit, ex illius aetatis consuetudine vix audiretur, neglegens scriba bis eam praetermisit, vv. 14 et 15; neque tamen dedit SVRSVVORSVM, sed duarum V concursum, quia is plane inauditus erat, devitavit, non grammaticorum ille doctrina informatus, sed consuetudine Latinorum hominum. Propterea uno loco dedit SVSO VORSVM, altero SVRSVORSVM, quod vix vereor ne quis *sursvorsum* tribus syllabis efferat. Idem CONFLOVONT scripsit v. 23, COMFLVONT v. 13, FLVIO v. 6, sed. vv. 6, 7, 9, 10, 13, 19, 21, 24 FLOVIOM, FLOVIO, FLOVI. Lex repetundarum, quae habet SVEI, SVAE, SVO, SVA et PRAETOR QVOM SOVEIS, eiusdem fere est aetatis, paullo inferioris elogium Claudiae cuiusdam C. I. L. I. 1007, quae

SVOM · MAREITVM · CORDE · DILEXIT · SOVO

i. e. *sovo*, ut alia nunc exempla omittam.

Sic etiam ille, qui senatusconsultum litteris consignavit, aut *oinovorsei* enuntiare potuit, aut *oinuorsei; oinvorsei* et *oinuvorsei* non potuit.

3) MAGISTRATVO v. 12 defendit Theodorus Bergk (Beiträge zur lat. Grammatik p. 24); Mommsenus (ad N. 196), Ritschelius (Neue Plautinische Excurse p. 4, Priscae lat. mon. epigr. p. 122,2), alii peccatum putant et restituunt MAGISTRATV*D*. Cum in ipsa epistula nullus alius ablativus ea littera destitutus sit, Ritschelium et Mommsenum recte *d* scripsisse existimo. Vide, quae in capite altero sub 1) exposui. — De D et O in libris Plautinis permutatis evidentissime disseruit Ritschelius, Neue Plautinische Excurse pp. 23, 27, 32, 61.

In tabulis Aegyptii, Endlicheri, Ritschelii — plures aeris imagines mihi comparare non potui neque usquam vidi — praepositio et ablativus in unum verbum PROMAGISTRATVO concreverunt; Mommsenus videtur duo legisse. Recepi equidem quod tres illae tabulae exhibent, quoniam ablativus cum praepositione nullo spatio interiecto coniunctus ratione sua non caret. Sed plura sunt, in quae idem cadit et de quibus idem accurate quaerendum est, velut *pro consule, proconsule, proconsul, pro praetore, propraetore, propraetor, pro curatore, procuratore, procurator, pro magistro, promagistro, promagister, pro flamine* cet. Quorum quando unumquodque scribi, quando frequentari coeptum sit, quando desierit, haud sine fructu spero observatum iri; aliquid enim inde utilitatis ad compositorum verborum rationem atque latinae linguae indolem penitus cognoscendam redundabit. Nunc vero, ne capitis I. fines nimis egrediamur, transeundum nobis est ad reliqua vitia.

4) Omnino nullum patronum scriptura DQVOLTOD v. 15 nacta est; redire eam ad eandam litterarum D et O permutationem viri docti consentiunt; est igitur OQVOLTOD, ut OQVPATVM aut incisum est aut scriba voluit in legis agrariae fragmento B 25. Nam Ritschelii tabula habet OOVPATVM; Mommsenus OQVPATVM enotavit. Plautus nostram litterae *C* in hoc verbo geminationem ignoravit, nam mensuram *ŏculto* iure ei vindicat Ritschelius, Proleg. ad Trinummum p. CCXXIV.

De litterarum *qu* in huiusmodi verbis vi et usu deque necessitudine, quae inter *qu* et *c* litteras intercedit, cf. Schneider, Elementarlehre I. p. 335; Corssen, Aussprache I. 71; Schuchardt, Vokalismus II. 48; Brambach. lat. Orthographie 233; Eckhel, d. n. I. 51; Huebner, Hermes VIII 238; J. Friedlaender, Hermes IX 252.

Quod autem propter nummorum Tarraconensium Augusti et Tiberii aetate cusorum epigraphen, quae est *Q(uolonia) I(ulia) I(lici) A(ugusta)*, viri docti credunt, verbum illud etiam omnibus litteris tum temporis *quolonia* vel *qolonia* esse perscriptum, id inde minime consequens esse putaverim. Tales enim notae ex vetustiore monetariorum consuetudine remanere potuerunt, postquam ea pleni verbi scriptura obsolevit. Argumento haud dubio, ut in primo versu senatusconsulti nostri me contineam,

ipsa COS nota est, quae inde ab incertae enuntiationis tenuiorisque scripturae COSOL vel fluctuantis temporibus usque ad tertium p. C. n. saeculum integra stetit.

Quae notarum et plenorum verborum discrimina fuerint, in littera K observavi. Videsis excursum II.

5) Dubitare licet, utrum scalptori an scribae QVIQVAM v. 12 imputandum sit; quin nobis, quod ad sententiam attinet, idem esse debeat, quod *quisquam*, de ea re nulla dubitatio mihi relinquitur.

Mommsenus et Huebnerus interpretantur *quicquam* (p. 593 et 601: *c omissa)*, locumque inde a. v. 11 sic distinguunt:

11 *Neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuisse velet neve magistratum,*
12 *neve pro magistratud neque virum neque mulierem quiquam fecise velet.*

Ergo *quisquam* (v. 11) vetatur *pecuniam communem habere*, idemque *quisquam* vetatur *magistratum habere;* quae vero sequuntur: *neve pro magistratud . . . fecise velet*, quid Mommseno Huebneroque significent, non dispicio. An nominativus *quisquam* ex versu 11 usque eo pertinet? Si haec illorum virorum sententia est, *velet* in versu 12 pro *iuberet*, *imperaret* accipias necesse est, perinde ac si versus 12 in hunc modum perscriptus esset: *neve quisquam neque virum neque mulierem quicquam pro magistratu, magistratus loco, facere iuberet.*

Sed verba *neve . . fecise velet* in versu 12 nihil aliud significare possunt, quam ceteris senatusconsulti locis, de quo usu infra (cap. II.) dicetur. Mihi, ut dicam, quod sentio, ista structura admodum contorta videtur. Sed non affirmare ausim, quid Mommsenus Huebnerusque voluerint, me re vera assecutum esse. Omnia autem recte procedunt, si mecum *quiquam* interpretaris *quisquam*. Senatus sententia mihi haec videtur esse: non eos tantum puniendos esse, qui ipsi magistri sint atque pecuniam communem Baccharum matronarum et virorum Bacchi sacris initiatorum administrent, sed eadem poena teneri omnes, qui aliquem magistratum vel aliquem, qui pro magistratu, i. e. magistratus loco sit, faciant, i. e. creent. Omnis enim eiusmodi procuratio creatioque pariter atque ipse cultus ille nefarius prohibetur. Tu verte sic: *Auch solle Niemand (neve . . quisquam) einen Mann noch ein Weib zum Magistrat oder Promagistrat wählen.* Illa *pro consule*, *pro magistratu* cet. quasi indeclinabilia omnium casuum partes suscipiunt. Cf. huius commentationis cap. V. Ne de faciendi verbo dubites, cf. l. agrar. 28: *censoribus, queiquomque post hac facteis erunt.*

Magistratus autem et *promagistratud* vocabula, postquam *magister* in v. 10 memoratus est, propterea usurpantur, quod eorum vis latius, quam *magistri* nomen, patet; *magistratus* et *promagistratud* vocabula videntur et magistros, et eos, qui pecuniam communem Bacchi cultorum administrant, complecti.

Ut vero ad illud *quiquam* revertar: in *Specimine grammatico* meo p. 8 monui, *quis* et *qui* non modo in *neiquis* et *neiqui*, sed etiam ante *q* litteram collocata in *quisque*, *quique* sexcenties sine ulla ratione permutata esse; itaque insolentiam scripturae *quiquam* a sexti saeculi neglegentia veniam habere. Sed mihi alterum eiusdem scripturae exemplum quaerenti opera non cessit; iam non refragor, si quis eam in numero eorum, quae a scalptore peccata sint, ponendam esse censet, dummodo ne pro *quicquam* accipiat.

6) Aegyptius in praefatione: *linea V. vitio fabri aerarii legitur* VTR A, *interiecto quadratae litterae spatio, pro* VERBA, *ut sensus proculdubio postulat;* Ritschelio in ‚Enarratione tabularum' *dubitari posse videtur, utrum quae inter* VTR *et* A *desideratur* B *littera, evanuerit tantum an sculptoris vitio numquam scripta fuerit.* Equidem puto scalptorem illam litteram in scripto non potuisse legere ideoque ad tempus lacunam reliquisse; sed plane componi haec controversia, quamvis levis sit momenti, nisi in re praesenti, ut Icti aiunt, non potest.

Verba alicuius audire, Jemanden hören ex scriptoribus notum est; respondent inter se *verba facere*, et *verba alicuius audire*, ut in senatusconsulto de Tiburtibus C. I. L. I. 201: *Quod Teiburtes v(erba) f(ecistis) . . . . Et postquam vostra verba senatus audivit.*

7) SACANAL v. 3 manifestus error est. In Latinis inscriptionibus praeter hunc locum in litteras S et B permutatas nondum incidi. Sed in legis Bantinae textu Osco latinis litteris perscripto apud Mommsenum, *Unteritalische Dialekte*, tab. ad p. 145 v. 19, video SANSAE pro BANSAE scriptum esse. Lepsius quidem BANSAE legit, sed Marinii Mommsenique consensus nullam admittit dubitationem.

Simili aliquo lapsu R et S in eodem textu Osco confusae sunt. Cum enim sibilans ante tenuem posita nunquam caninae litterae cesserit, sed illius vi servata sit atque adeo acuta et duplicata, velut *posstist*, *kvaisstur*, *passtata* in eiusdem libri tabb. VI. v. 33, X. n. 20, 24, 25, 26, e latinis inscriptionibus in *essto* in fragm. B 41 legis repetundarum, *esst*, *casstrese*, *possteris* (Henzenianae syllogae n. 5534, 6335 cet.), *Sallusstius*, *Erassto* (I. R. N. 5606, 6404), *Fausstines* (C. I. L. VI. 585), ut alia cum Latina tum Graeca mittamus: nostro iure negabimus ullam extitisse causam, cur a similitudine declinationis futuri temporis, qualis est *fust*, *didest*, *herest*, *pertemest*, unum illud *hafiert* tabulae Bantinae v. 8 recederet. Mommsenus rhotacismum e latinitate in Oscam hanc formam devenisse censet (p. 238), sed talis rhotacismus nunquam in latinitate apparuit. Huschkii *(Oskische und Sabellische Sprachdenkmäler, p. 300)* opinio, *i* vocalis causa sibilantem in caninam transiisse, non video quomodo defendi possit.

Item R et S (et in eodem verbo B et R) confusae sunt in inscriptione Pannonica Ephem. epigr. II. p. 425: VIVITE FELICES QVIRVR EST FORTVNA BEATA.

8) Ut Ritschelio ectypum gypseum examinanti credo, v. 6 non esse aliquo errore COSDLERETVR incisum, sed O litteram leviter tantum angulatam, ita v. 12 de NEOVE contra Ritschelium Mommsenumque Aegyptio (pp. 138 *sic*, 157 *vitio fabri)* Schmuzeroque chalcographo eius fidem habeo. Proclivis hic lapsus fuit et frequens; cf. Ritschelius, Enarrat. tabb. p. 122.

9) Aegyptius in praefatione: *Illud notandum .... linea VI., post vocem* ADESENT *relictam fuisse a fabro, nulla prorsus necessitate ad id cogente, lacunam, deinde has litteras incisas:* A RES. Ritschelio autem, *quoniam eum ipsum in locum fractura tabulae incidit, gravis suspitio oritur, non omissas illas litteras* quom e *fuisse, sed postmodum demum obscuratas evanuisse.* Rectius Mommsenus ad vv. 5(et 6): *Aegyptium cito, quoniam lamminam vidit fractam et ipse recomposuit, ... ut aerarius scriptor exemplum hoc loco legere nequivisse videatur.*

10) De punctis, quae aliquot locis, ut v. 2 inter BACANALIBVS et QVEI, v. 4 inter DEICERENT et NECESVS desiderantur, non liquet. Grammaticae rationis nihil subest.

11) Litterae huius monumenti, rudes eae et inaequales, imparibus intervallis inter se distant, ut iam supra sub **2)** indicavi; v. 14 quoque de CONPROME SISE, si Ritschelii tabulam acriter intueris, quaerere licet, sitne una littera aerugine absumpta, an propter scabritiam aeris ibi non incisa, an propter dubitationem praetermissa, ut littera B in VTR A v. 5, de quo p. 10, 6 dixi. Si praetermissa est, *conpromeisise* scriba voluit, ut *remeisserit*, *promeisserit* in lege Rubria, *ameiserunt* in lege Antonia de Termessibus.

12) Persuasum habeo, vv. 12—13 de enuntiato illo: *neve posthac ... conpromesise velet* pronomen *quisquam* excidisse; utrum id incuria scribae factum sit, qui edictorum per totam Italiam mittendorum (Liv. 39, 14) exempla vel, ut rectius dicam, hoc exemplum confecit, quod ad Teuranos missum est, an scalptor peccaverit, non diiudico; illud probabilius. Utut vero res se habet; *quisquam* excidisse tam certum est, quam quod certissimum.

Grammatici, qui hoc pronomen tractant, velut Holtze, *syntaxis priscorum scriptorum latinorum* II. p. 199; Draeger, *historische Syntax* I. p. 82, f.; Neue, *Formenlehre* II. p. 245, de senatusconsulti

formulis tacent; tu enota vv. 14: *quisquam inter sed* et v. 19. Evidentius enim usus singularis numeri pronominis, quod pluralem non patitur, demonstrari non potest. Illud quoque animadversum velim, nostrum scribam *quisquam* singulari singularem numerum verbi finiti accommodare, etsi *quisquam* multitudinem complectatur et aliis locis plurali numero verbi excipiatur, ut apud Plautum et in legis coloniae Genetivae tabula IV. ephem. epigr. III. p. 93, 11, 33: *Neve quisquam rem aliam at decuriones referunto neve quot decurionum decretum faciunto.* Quod scriba in senatusconsulto, cum v. 17 singularis *adieset* ad *quisquam* v. 16 respondeat, v. 8 *adiesent* dedit, propter tria hominum genera, quae v. 7 distinguuntur, factum est.

13) Superest ut litteras cursivas maiusculas vv. 1, 9, 11, maiusculas minoris moduli vv. 11, 12, 13, minusculam h v. 11 explicem.

Praenomen Marcii v. 1 cursiva *Q* dedi, quia Schmuzerus in tabula Aegyptii libro praefixa hastam eius litterae ni fallor significat; editores nihil adnotant, sed a M littera incipiunt. Idem Schmuzerus v. 9 litteram N ultimi verbi et v. 11 litteras LET obscuriores quidem, sed minime dubias expressit; Mommsenus et Ritschelius iam nihil legerunt. Ego nulli horum virorum fidem derogo, sed his centum annis aerugine litteras suspicor exesas esse; non adducor ut Schmuzerum, artificem singulari religione, acerrimis oculis, eas de suo addidisse credam; cursivis distinxi.

Idem Aegyptius: *Linea quoque XI, XII, XIII deesse fragmentum ad instar fere trianguli, quod et nos, quum tabulae ipsius fragmenta, non recte adhaerentia, componeremus, supplevimus; nam fuso stanno vacuum illud complanavimus et paucas litteras in id incidi curavimus, quas tabula ipsa incidendas apertissime significabat.* Sed paullo minores Aegyptii sunt quam antiquae litterae. Unam h in v. 11 non videtur supplevisse; olim grammatici inde formam *abuise* aspiratione carentem, tamquam in ipso aere esset, mutuati sunt. Vix opus est monere, senatusconsulti temporibus in nulla latina inscriptione tale quidquam inveniri.

Summa eorum, quae disputavimus, haec est: scalptorem neque saepe, neque admodum graviter peccavisse; vitia plerumque litterarum similitudine excusari; tantam vero fuisse viri religionem, ut duobus vel tribus locis, ubi de lectione ipsi non constaret, nullas quam falsas litteras incidere maluerit.

Caput II.

De legalium monumentorum ratione grammatica et orthographica et de quibusdam, quae senatusconsulti q. v. de Bacchanalibus propria sunt.

Leges, senatusconsulta, edicta, alia eius generis instrumenta publica a privatis titulis pari cum diligentia et accuratione factis valde discrepant, idque non solum sollemnibus quibusdam verbis ac formulis, quas illa monumenta iustis de causis peculiares oportet habere, sed universa rerum grammaticarum et orthographicarum ratione.

Ipsa enim lingua latina, multis ea modis tot saeculorum decursu commutata et in novas formas conversa, continuo secum traxit innumerabiles illas privatas inscriptiones, quas omnium ordinum ac condicionum homines exarandas curabant; in his titulis variae latinae linguae vicissitudines quasi in conspectum cadunt. Legalia autem monumenta linguam singulis paene lustris progredientem et aliquid

novantem longiore intervallo sequebantur; quam diutissime priscum scribendi morem servabant, novas scripturas tardius recipiebant.

Neque tamen omnium scribarum publicorum una tanquam disciplina fuit, ut qui eodem tempore illo munere fungebantur, unam normam secuti sint; de quibusdam consentiunt, de aliis suam quisque sententiam profitetur.

Ut nonnullis exemplis quid velim ostendam: in legibus repetundarum anni 122 vel 121 et agraria anni 111 a. C. n. plane eadem est geminatio consonantium, sed lex repetundarum pleniores pronominis *is* formas septemdecim locis exhibet multoque minus quam haec ad *u* vocalem in mediis verbis ab antiquiore *o* vocali, velut *singolos, taboleis,* delabitur; illa recentiorem scripturam *publicus,* quae in hac tantum non semper obtinuit, plane respuit, tenet antiquiores *poplicus, puplicus.* In lege Cornelia de XX quaestoribus anni 81 a. C. n. IVVS, ut Accius olim praeceperat, ter scriptum est, sed lex Antonia de Termessibus, decem ea annis recentior, scripturam IOVS, IOVRIS, iam pridem obsoletam, sex locis instauravit. Lex Rubria anni 49 a. C. n. quater IVSSVM scripsit, lex Iulia municipalis anni 44 a. C. n. simplicem consonantem redintegravit quattuor qui insunt locis omnibus. Intra annos 82 et 84 post C. n. conscriptae sunt leges Salpensana et Malacitana in provincia Baetica (C. I. L. II. 1963, 64); altera sine ulla exceptione *legitumis, proxumis, optumo* fere octies scribit, altera *proximo* quinquies, *plurimi* semel, nusquam *u*; illa *eius, cuius;* haec saepissime *eiius, cuiius,* ut naturam *i* litterae, quae inter binas vocales posita quasi in duo elementa, vocalem et consonantem, dividitur, quantum in scribae potestate fuit, exprimat. — Sed etiam inter diversa instrumentorum publicorum genera aliquid discriminis fuit. Velut vetandi formula *nequis — fecisse velit, habuisse velit* fere abest a legibus, propria est edictorum. — Omnia, quotquot ad nostram aetatem pervenerunt, senatusconsulta, sive in epigraphicis monumentis ea legimus, sive in libris Ciceronis, Frontini, Flavii Iosephi, aliorum, obliqua oratione utuntur, omnes leges oratione recta.

Priusquam vero huius, in qua commentatio mea versatur, instrumenti latinitatem enarrem, litterarum quas supra scripsi **q. v.** ratio reddenda est. Recte Mommsenus monet (C. I. L. I. p. 44), qui hanc tabulam senatusconsultum appellent, eos minus proprie loqui neque omnino senatum cum populis agere nisi per consules; esse epistulam (v. 29), quam consules dederint cum ad reliquos nominis Latini sociorumve in Italia, tum ad agri Teurani magistratus aliquos, ad quos loquantur consules inde a v. 23; *praemittunt vero,* scribit, *allocutioni formam edicti, quam apud foederatos proponendam ediderat senatus v. 4—22; itaque factum est, ut praescriptio senatusconsulti, cum praesertim iidem consules et senatum habuerint et litteras dederint, inscriptionis quae in epistulis esse solet locum occuparit.*

Facile apparet, nihilo setius unam esse harum partium orthographiam; syntaxis autem, consecutio temporum, inde a v. 22 differt. — Brevitatis causa in hac commentatione tralaticio senatusconsulti vocabulo in universum uti liceat.

Totum igitur senatusconsultum, anni, ut supra dixi, 186 ante C. n., inter illius aetatis inscriptiones duabus potissimum rebus insignitum est, quod litteram *d,* in quam ablativus singularis, praepositiones, adverbia, accusativus pronominis tertiae personae exeunt, et quod simplices consonantes tam constanter servavit. Alia ei aut cum omnibus aut certe cum aliquot monumentis legalibus communia sunt: *utei, hoce;* praeterea *exdeicere, dismota, coventio* vv. 3, 22, 30 si non certa argumentatione, at saltem haud improbabili coniectura ad idem genus scribendi referemus; nam nihil est causae cur credamus, vetustissima illa apud poetas epicos et tragicos usque ad annum 186 a. C. n. durasse, nedum comici et leve vulgus tam gravia horridaque conservaverint. Ut de syntaxi pauca delibemus, legalis sermonis sunt nomina non solum consulum, sed etiam testium v. 2 sine copulativa particula posita;

praetermissus dativus *eeis*, cui nominativi *quei foideratei* respondent v. 2; certa lege distinctus pronominum *hice*, *is* usus; ellipsis in TRINVM NOVNDINVM v. 22, i. e. *trinarum nundinarum diebus*, *an drei Markttagen*, *(ne minus: an nicht weniger als . .)*; denique, quamquam hoc ad ius magis publicum quam ad grammaticam spectat, cognomina consulum et testium vv. 1—2 omissa.

Omnibus his id genus sermonis, quod nostrates *Curialstil* appellant, cernitur; iam vero si tabulae, quam pag. 4 dedi, singulos versus perlustras, in multa, quae nondum memoravi, incidis, a nostra consuetudine aliena, ut: *Duelonai; arfuise; consolere*, *cosolere; Claudi*, *Valeri*, *Minuci*, quae non mera compendia sunt; *Bacanalibus* sine aspiratione; *quei*, *foideratei*, alia, quae enumerare longum est. De quibus sic habeto: omnes has scripturas et vocalium consonantiumque affectiones non legalis latinitatis finibus contineri, sed partim in illius aetatis, partim posterioris inscriptionibus cuiusvis argumenti, partim etiam apud scriptores extare; id quod infra (cap. V) patebit.

De universa hac senatusconsulti de Bacchanalibus latinitate inde a Matthaei Aegyptii temporibus multi multa disseruerunt; nullus extitit grammaticus, ne ex eorum quidem numero, qui cum sempiterno Boppii nominis honore linguarum origines inter se comparant, quin senatusconsulti de Bacchanalibus mentionem libris suis intulerit; nos pauciora quaedam, quae nondum satis illustrata esse videntur, disceptabimus.

1) Littera *d* ablativi, Oscae et Latinae linguae communis, iam in nonnullis inscriptionibus, quae senatusconsulto de Bacchanalibus aut antiquiores sunt, aut certe aequales, vel prorsus neglecta est, vel parum constanter adhibita. In edicto L. Aemilii Paulli, anni 189 ante C. n.: *L. Aimilius L. f. inpeirator decreivit*, *utei quei Hastensium servei in turri Lascutana habitarent*, *leiberei essent; agrum oppidumqu(e)*, *quod ea tempestate posedisent*, *item possidere habereque iovsit*, *dum poplus senatusque Romanus vellet* (C. I. L. II. 5041) in quattuor ablativis ne tenuissimum quidem illius litterae vestigium superest. In L. Cornelii Scipionis Barbati elogio habes *gnaivod patre prognatus*, in tabella Picena: *quaistores aire moltaticod dederont* (C. I. L. I. 181, Ritschl tab. 97), quam aliquanto antiquiorem esse senatusconsulto nostro nominativi *L. Terentio* cet. *o* vocali terminati testantur. Ne multa: quod nostrum senatusconsultum illam *d* tam aequabiliter (si ab iis, quae in fine adscripta sunt, recesseris), tot verbis addidit, non potes non mirari.

Novissima quidem verba: *in agro Teurano* ubinam scripta sint, inter viros doctos nondum convenit. Theodorus Bergk (Beiträge zur lat. Grammatik. I. p. 24): *die Worte*, inquit, *sind sichtlich von dem Graveur im Bruttierlande hinzugefügt.* Mommsenus contra (C. I. L. I. ad 196) *indicationem directoriam* vocat, i. e. *Adresse* (sic in libro *unteritalische Dialekte* p. 154), *ab alio homine adiectam*, ergo Romae; idem Ritschelius iudicat (Neue Plautinische Excurse, I. p. 14): *In eigenthümlicher Weise bezeichnend ist die unterschriftliche Adresse*, *die deutlich erkennen lässt*, *dass nur ein anderer als Concipient den Text verfasste*, *ein anderer Beamter — man möchte wohl sagen*, *in einer und derselben Woche — die Adresse machte.* Cum non intellegam, cur a Teurano scalptore potius, quam Romae a scriba quodam publico illa verba adiecta sint, Mommseno et Ritschelio assentior.

De terminationis in *d* vi atque origine et de ratione, quae inter ablativum singularis nominum, accusativum et ablativum pronominum *med*, *ted*, *sed*, adverbia, praepositiones quasdam intercedat, nihil habeo quod iis addam, quae viri docti per hos fere sexaginta annos ex linguarum vetustate eruerunt. Sed de coniunctione ARVORSVM EAD . . . QVAM v. 24 senatusconsulti probabilius, quam adhuc disputatum est, posse disputari existimo.

Ritschelius enim (Neue Plautinische Excurse I. p. 82) docet haec: *posthac*, *posteā*, *postillā*, *antehac* . . . . . *praetereā*, *quapropter* . . *proptereā*, *intereā*, *quocirca: sämmtlich aus einer Periode der*

Sprache stammend, in der sich der Gebrauch dieser Praepositionen noch nicht in der spätern einseitigen und ausschliesslichen Accusativconstruction fixirt hatte. Eben dahin ist denn auch einzig richtig das ARVORSVM · EAD · QVAM *des Senatusconsultum de Bacch. gezogen worden, .. gemeint im Gegensatz zu dem verfehlten frühern Erklärungsversuche Bopp's, wonach sich das d des Neutrum des Singulars id einfach auch in den Plural fortgesetzt und so ein neutrales ead erzeugt hätte.* Et p. 12.: *jene Urfähigkeit der genannten Praepositionen, sich auch mit dem Ablativ zu verbinden.* Alii autem, e quibus unum Corssenum nomino, alia de causa *ead* accusativum pluralis habent: *wie auf die Accusative me, te, se, so ist auf die Form des Accus. Plur. neutr. eā in demselben Zeitalter und aus demselben Grunde in der Schrift ein ablativisches d übertragen worden in der Verbindung advorsum ead* (Aussprache, Vokalismus cet. II. 446; Beiträge zur italischen Sprachkunde 605).

Sed Corssenum fugisse videtur plebiscitum Silliorum apud Festum (p. 246 M), cuius sanctio incipit a verbis: *si quis magistratus adversus hac d(olo m(alo) pondera .. vasaque publica ... minora maiorave faxit.* Iam Odofredus Mueller (p. 247), hanc codicis lectionem contra Antonii Augustini, Scaligeri, Ursini coniecturam, *adversus haec* scribendum esse, defendens, nostrum *advorsum ead* similiaque *intereā*, *hacpropter*, *posthāc* attulit. Nuper accessit inscriptio Luceriae reperta, quam Mommsenus (Ephem. epigraph. II. p. 205) edidit, ubi eadem sanctio legitur: SEI · QVIS · ARVORSV· HAC · FAXIT · Mommseni interpretatio: *Si quis adversus hoc fecerit* (p. 207, 504), cur vetustissimae illi formae neutrum substituerit, non dispicio.

Ergo *ead* neutrum pluralis non potest esse, nisi forte *hac* quoque pluralem esse volumus.

Ritschelii autem sententia, omnes illas praepositiones antiquissima linguae latinae aetate ablativum rexisse, haud magis, quam Corsseni, mihi probatur. Namque primum non liquet, quomodo fieri potuerit, ut ne unius quidem substantivi ablativus, qui ex illis praepositionibus penderet, nobis traderetur, immo omnis eius structurae memoria interiret. Cunctas priscae latinitatis reliquias perscrutare: nusquam *adversus hac lege, ad quo loco* (cf. *adeo, quoad), ante illo templo* indagabis. Perturbata enim praepositionum structura et casus confusi infimae latinitatis sunt; *cum maritum suum, contra votis* multaque his similia imperatorum demum aetate scribi coepta sunt. Deinde quid esse statuemus *examussim, exadversum?* Nam *adversum*, cum primum factum est, neutrum fuisse, *amussim* vero accusativum nominis *amussis* constare videtur. An Plautum praepositionem *ex* cum accusativo coniunxisse censebimus?

Equidem unum premendum esse puto, quod neque Ritschelius, si quid video, neque Corssenus reputavit. Nimirum adverbia *eā*, *eō*, *quō*, *quā*, quorum antiquior forma fuerat *eād*, *eōd*, *quōd*, *quād*, item *hāc*, *hōc*, cuius loco posterior demum aetas *huc* posuit, ut *illoc*, *illuc*, et si qua sunt similia, iam inde ab antiquissimis, quorum litteras aliqua ex parte novimus, temporibus etiam absoluta, nullis praepositionibus praefixis, apud Romanos in usu fuerunt. Cum ablativo igitur origine tantum coniuncta erant; homines autem, qui iis usi sunt, iam non de ablativo cogitantes, mera adverbia senserunt. Ergo ubi primum his adverbiis significationis immutandae causa praepositiones praefixerunt, casuum, quas illae praepositiones per se regerent ac poscerent, iam prorsus nulla ratio habenda fuit; nulla ratiocinandi arte inde colligi potest, illas praepositiones olim alios, quam Ciceronis aetate, casus rexisse.

Antiquius igitur fuit *arvorsum eād*, recentius *advorsus eā*, *adversus eā*[5]); hoc *adversus ea* primum in lege Iulia municipali anni 44 ante C. n. inveni v. 97, 107, 140: *quei adversus ea fecerit;* 18:

---

[5]) De terminatione in *um* et *us* cf. Ritschl opusc. II. 262.

quei adversus ea frumentum dederit; 124: *quei adversus ea in decurionibus fuerit;* 139: *quem adversus ea creatum renuntiatum erit.* Interdictum praetorium *adversus ea vim fieri veto* a scriptoribus tantum traditum est.

Quamquam vero cetera eiusmodi adverbia, velut *ante ead, ante ea, praeter ead, praeter ea,* mox coniungi coepta sunt in hunc modum *antea, praeterea* cet., de qua re infra (Cap. V.) exponam, tamen *adversus ea* semper distinctis partibus scriptum est.

Difficiles igitur explicatus non habet, quod imperatorum aetate Romani, quid rei esset, iam non intellexerunt, sed illud *ea* in *adversus ea*[6]) opinati sunt esse neutrum pluralis; fuerunt, qui iam non *adversus ea, quam supra scriptum est,* sed *adversus ea, quae supra scripta sunt* dicendum esse crederent: *si quis adversus ea q(uae) s(upra) s(cripta) sunt fecerit, inferet fisco domini n. viginti millia nummum* (Wilmanns I. 454). Cf. ibid. N. 315, 23: *si quis alius aliave .... aliquid adversus ea facturus fuerit, quae s(upra) s(cripta) s(unt) ...* Item *adversus hoc* in lege metalli Vipascensis (Ephem. epigr. III. p. 167): *si adversus hoc quid fecerit,* vel *adversus it: si qui adversus it fecerint, eorum bona pertinere debebunt ad remp(ublicam) Brundisinorum* (Mommseni Inscr. R. N. 460).

2) Ante Ennium Romanos non geminavisse consonantes testatur Verrius Flaccus apud Festum s. v. *solitaurilia* (p. 293 M). Quo anno poeta, *utpote Graecus Graeco more usus, consuetudinem* Romanorum *mutaverit,* a nullo traditur. Romam eum deduxit M. Porcius Cato, cum ex Sardinia provincia quaestor decessit anno 204/203 ante C. n.; *Ennium ... utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est* (Suetonius ed. Reifferscheid p. 100); mortem obiit anno 169.

Ex inscriptionibus anno 204/203 antiquioribus duae tantum geminatas consonantes dicuntur potius quam videntur habuisse — nam perierunt — C. I. L. I. 530 = VI. 1281: *M. Claudius M. f. consol Hinnad cepit* et I. 40 = VI. 1280: *Appios consol.*

Prior inscriptio narrat M. Claudium Marcellum, qui anno 211 ante C. n. Hennam Siciliae urbem, ut Livius scribit, expugnaverat, aliquod signum, *quod urbi* Romae *ornamento esse posset* (Cic. Verr. IV. 54. 120), ex illa urbe abstulisse. Ritschelius, qui de fide lectionis *Hinnad* addubitaverat (de titulo Mummiano p. IV, opusc. IV. 88), postea (monum. epigr. tria p. IV, opusc. IV. 166) *intellexit geminatam consonantem eandem a Graeco nomine veniam habere, quam in alio quodam genere Archelaos, Diphilos poetes, et his similia.*

In altera inscriptione propter scripturam OS post bellum Punicum alterum obsoletam Mommsenus Henzenusque optionem dant, quem potissimum ex consulibus annorum vel 307 vel 296 vel 268 vel 264 hunc Appium fuisse credamus; quattuor enim his annis Appii consules fuerunt. Sed nulli geminatio convenit.

Mommsenus inscriptionem, quod editionem principem libelli a Iacobo Sirmondo conscripti, qui de ea rettulit, non vidisset, ex Graevii thesauro (IV. 1836) desumpsit, Henzenus ex Sirmondi operibus variis (IV. 588), quae anno 1696 Parisiis prodierunt. Ambigi posse mihi videbatur, quid ipse Sirmondus edidisset, donec intercedente Alexandro Reuss amico Monsign. Antonius de Waal, quae est eius eruditio, sagacitas, humanitas, libellum quaesivit rescripsitque mihi haec: *In einem Bande Miscellaneen in der Bibliotheca Angelica fand ich die Schrift unter dem Titel: Vetustissima inscriptio qua L. Cornelii Scipionis elogium continetur Romae nuper reperta, et doctis explicationibus illustrata.*

---

6) Obiter mirum quendam pleonasmum legis Malacitanae (col. II. 71, III. 50) denoto: *qui aliter adversus ea fecerit, qui aliter adversus ea patronum cooptaverit, is ..... d(are) d(amnas) e(sto).*

Romae, ex Typographia Bartholomaei Zannetti MDCXVII. (Est editio princeps). *Die Stelle steht S. 9 und lautet: Atque ut hinc potissimum exordiar, L istud vncinatum, et P ad ΠΙ Graecorum instar semiclausum* (litteras latinas antiquiores typotheta Brunsbergensis non possidet) *in alijs etiam eiusdem aeui monimentis, nummis scilicet, tabulisque aereis videre est et a nobis ipsis vtriusque olim exemplum in priuernatis lapidis fragmento, in quo APPIOS CONSOL inscriptus legebatur, animaduersum meminimus.* De Sirmondi igitur textu nullus restat scrupulus, de ipsa inscriptione multi.

Namque primum non praesens descripsit eam Sirmondus, sed *olim* se legere *meminit.* Deinde non ad geminationem attendit, sed formam litterarum. Mihi constat in Privernatis lapidis fragmento APIOS fuisse una P scriptum, quandoquidem de hisce scripturis facillime fallunt nos oculi, fallit memoria. Ne Corpus quidem inscriptionum latinarum, quod quam religiose et diligenter paratum editumque sit, nemo nescit, omnibus vitiis lectionis vacat; cf. *queiqomque* I. 200, 25; *iurarint* ibidem 197, 21; *pecuniae* 200, 99; quorum loco reponendum est *queiquomque, iourarint, pequniae.* Sirmondi igitur illud *Appios* iam non curabimus.

Ut ad geminationem revertar: certissima est lectio edicti Aemilii Paulli anni 189, quod pag. 14 exhibui; insunt ESSENT, TVRRIS, OPPIDVM, VELLET, POSSIDERE, POSEDISENT, IOVSIT. Insequitur senatusconsultum nostrum, quod geminatas litteras ignorat, licet tribus post edictum annis scriptum sit; num eodem tempore multi Ennii auctoritati obtemperaverint, nullae adhuc nos inscriptiones edocent. Nam satis longo intervallo sequuntur Scipionum elogia. Cum vero de gradibus quibusdam, per quos Romani ad geminandi frequentiam progressi essent, aliis locis, in *Specimine grammatico Confl. 1869* inde a. p. 21 et in *Quaestionum grammaticarum particula II. Brunsb. 1872,* fusius contra Ritschelii sententiam disseruerim, hic satis habeo hoc unum repetiisse: Ennium multis verbis formisque verborum, quibus nos duplicem consonantem tribuere consuevimus, simplicem adhibuisse; illum non scripsisse *iussi, iussum, fuisse, habuisse, postulasse* cet., *fuissem habuissem* cet., *suffragium, possessio, possessum,* — sed *possesum, possesio, sufragium, habuisem* cet., *iusi* vel *iovsi;* contra *esse, essem, velle, vellet, terra, oppidum, ferre, ferrem* cet.

Idem vero scriba, qui in senatusconsulto tralaticiam scripturam quam nuper ab Ennio inventam sequi maluit, *X* et *S* elementa, quae fere *css* valebant, consociavit in EXSTRAD vv. 16 et 28, simplici *X* sufficiente in *exdeicendum, exdeicatis* v. 3 et 22. Fortasse haec discriminandi ratio ex eadem causa repetenda est, cui etiamnunc *extraho, excurro, expono, edico, egredior, ebibo* debemus; tenues enim litterae confirmant sibilantem praecedentem, mediae eam debilitant ac tollunt.

Caput III.

De quibusdam scripturis ac formulis, quae in senatusconsulto q. v. de Bacchanalibus itemque in aliis monumentis legalibus leguntur.

1) Pronomini relativo *quei* v. 2 quod respondet demonstrativum *eeis,* i. e. *ii,* cogitatione viri docti supplent; de qua omissione exposuit Mommsenus C·I·L·I· p. 44 et Ephem. epigr. II. p. 121, III. 97.

Notissima est formula *eiusque pecuniae quei volet petitio esto* vel *petitio persecutioque esto*, i. e. *unicuique, qui volet*, vel *quicunque volet;* nostri quoque senatusconsulti v. 2 versio *iis, qui foederati essent*, nisi sic intellegas: *quicunque foederati essent* vel *omnibus, qui foederati essent*, vereor ut loco satisfaciat. Nam in altera quoque formula illa *praetor ..... potestatemque scribundi quei volet facito* (legis repetundarum v. 18) *quicunque* intellegitur: *der Praetor soll Jedem, der es verlangt, ermöglichen* vel *erlauben, die Liste abzuschreiben.* Populariter loquitur titulus sepulcralis C·I·L·V· 8305: *eius rei persecutio cuilibet de populo datur*, i. e. *cui libet.*

In lege coloniae Genetivae formula quindecim locis corrupta est: *cui volet;* quod uno superest *qui volet*, Mommsenus omnibus restituit; negat Latine dici posse *cui volet, petitio esto.* Sed me alius quidam scrupulus pungit. Nam tertia eius legis tabula sex locis (6, 26; 7, 29, 37, 50, 8, 13, 31) inserit genetivum *eorum: eiusque pecuniae cui eorum volet... petitio esto.* Unde tibi in tanta diversitate ac perversitate tam mirus de dativo consensus? Licetne suspicari, scribis illud *aliquid mihi volenti est, aliquid alicui volenti est* obversatum esse, ut sibi persuaderent *cui eorum volet* idem esse ac *cui eorum volenti est?* An vulgaris aliqua attractio in causa fuit? Haec enim obtinuit in lege Iulia municipali v. 151: *quom amplius dies LX reliquei erunt antequam diem ei, queiquomque Romae censum aget, finem populi cesendi faciant.* Huebnerus p. 572 coniunctionem nostram *antequam* esse putat; mihi *antequam diem* est *ante eam diem qua: cum amplius dies LX reliqui erunt ante eam diem, qua die ei, quicunque Romae censum aget, finem populi censendi faciant; wenn noch mehr als 60 Tage bis zum Abschluss des Census in Rom übrig sind.* Si vero praepositio *ante* relativum pronomen ad se traxit, non video, cur hoc *cui volet petitio esto* non idem esse possit ac *ei petitio esto, qui volet.*

2). Nescio an nos v. 2—3 malimus scribere *qui foederati sunt*, ut in re certa[7]) ac senatui consulibusque nota. Sed scriba rem ad sententiam eorum refert, quorum est *exdeicere*, i. e. magistratuum foederatorum populorum, quos epistula edicere iubet v. 22; subiunctivus imperfecti a perfecto *censuere* pendet.

Non una senatusconsultorum in hoc obliquae orationis genere consuetudo fuit. Velut apud Frontinum de aquis urbis Romae lib. II. 125 (ed. Buecheler): *Quod.. cos. v(erba) f(ecerunt) de rivis... reficiendis, q(uid) d(e) e(a) r(e) f(ieri) p(laceret), d(e) e(a) (r(e) i(ta) c(ensuere): uti cum ii rivi, fornices, quos Augustus Caesar se refecturum pollicitus senatui est, reficerentur..*, indicativus *est* aperte ea indicat, de quibus senatui constat. Item privilegia militum aliaque instrumenta res certas et incertas vel parum cognitas indicativo et subiunctivo solent discernere, velut: *Ti. Claudius.... trierarchis et remigibus, qui militaverunt in classe, quae est Miseni, et sunt dimissi honesta missione, quorum nomina subscripta sunt, ipsis, liberis posterisque eorum civitatem dedit et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data, aut si qui caelibes essent, cum iis, quas postea duxissent. Vel: ... qui militaverunt in classe Ravennate..., qui sena et vicena stipendia aut plura meruerunt vel meruerant* (C·I·L·III· p. 844 sq.); rarissime *qui sena et vicena stipendia aut plura meruissent* (ib. p. 851). Cum hoc autem, quod ultimo loco posui *meruissent*, consentit structura donationis pro salute Domitiani Augusti a liberto eius quodam factae in Orellii et Henzeni sylloge III. 6085: *L. Domitius Phaon iis, qui in conlegio Silvani hodie essent quique postea subissent, fundum... attribuit.*

---

[7]) Cf. excursus III.

3) Vetandi formula per totum senatusconsultum v. 3—21 excepto v. 10 haec est: *ne — habuise, fecise, adiese velet, velent.* Quare subiunctivum imperfecti *velet, velent* potius, quam praesentis *velit, velint* scriba usurpaverit, in promptu est: omnia verba finita inde a *velet* v. 3, *esent, deicerent* v. 4, *venirent* v. 5 usque ad *velent* v. 21 ex obliquae orationis lege direxit ad perfectum tempus *censuere* v. 3. E grammaticis, qui de ipsa formula, i. e. de infinitivo perfecti verbo quod est *volo* subiecto commentati exempla locutionis a nostro sensu alienae cum ex inscriptionibus tum ex libris conquisiverunt, imprimis nominandi sunt Nic. Madvig, *Opusc.* II. 124, Guil. Holtze, *Syntaxis priscorum scriptorum latinorum* II. 80, Henricus Jordan, *Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache* 277.

Sed cum pulvisculo, ut aiunt, res excussa non est. Namque primum adeo Ciceronis aetate formula in edictis suam tenuit sedem. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent: *nequis in arenam nisi pomum misisse vellet* (Macrob. Sat. II. 6, 1). Ergo coniecturam, quam Madvigius facere noluit, re vera licet facere, in libello, qui cum Caesar peregrinos in senatum allegisset, est propositus, non fuisse: *Bonum factum. Nequis senatori novo curiam monstrare velit,* sed *monstrasse velit,* siquidem illud quoque *bonum factum* ad sollemnem edictorum formam pertinet, ut observavit Brissonius *de formulis* lib. III. p. 1, ubi plura collegit exempla; nimirum cavillatores ipsam edictorum formam consentaneum est fideliter imitatos esse. Neque Horatius Sat. II. 3. 187 obsoletam aliquam dictionem resuscitare voluit hoc versu: *Nequis humasse velit Aiacem Atrida vetas cur?* — sed animi causa Agamemnonem cuiusvis praetoris vel aedilis personam sustinentem induxit. Romae olim extitit inscriptio I. R. N. 7031 = Or. 4421: *C. Iulius Hermes libertis libertabusque suis dedit, ita ut ne quis . . . de nomine alienasse velit,* primi, ut videtur, p. C. n. saeculi. In regione X. in Asolano territorio extitit titulus C. I. L. V. 2090 = Or. 4419: *C. Vettonius . . . vivos ipse sibi fecit inque memoriam sui et colende sepulture* (sic) *rosis et escis paganis HS. n. DCCC dedit, ex cuius summe reditu rosam ne minus ex HS. n. XVI. posuisse vellint, et reliquum quot est ex usuris, escas rosales et vindemiales omnibus annis poni sibi voluit.* Vulgares formae *vellint, summe, sepulture* et antiquitatis tenax illa rustica *vivos* indicio sunt, ius privatum usque ad imperatorum aetatem receptam formulam religiose conservavisse. Litterarum ductus Henzeno, qui descripsit, iudice ostendunt, C. I. L. VI. 579: *ni qua mulier velit in piscina virili descendere,* tertii demum p. C. n. saeculi esse. Inconcinna orationis forma inscriptionis Puteolanae I. R. N. 3407: *neve heres heredesve eorum vendant aut donare velint* pariter legalis latinitatis fines migrat. — Quod rogandi formulae, quales habemus I. R. N. 6893: *rogo per deos superos inferosque, ne velitis ossa mea violare,* et C. I. L. VI. 52: *C. Iulius Anicetus rogat, nequis velit parietes inscribere,* infinitivo praesentis utuntur, cum illa observatione non pugnat. Sagaciter enim Madvigius perfecti illius usum ex eo repetendum esse suspicatur, quod vetandi illa et paene minandi significatio ad rei absolutionem spectaverit, cum voluntas ipsa per se non vetaretur; si quis autem rogat, is etiam voluntatem spectat.

Sed in eo vehementer errat Madvigius, quod in publica legum voce fere constanter verbo, quod est *volo*, perfectum infinitivi antiquos Latinos arbitratur subiecisse. Longum est enumerare omnes legum locos, neque operae pretium; pauci hi tibi satisfaciant: *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito, hoc plus ne facito, rogum ascia ne polito, mulieres genas ne radunto, homini mortuo ne ossa legito, neve aurum addito, de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto.* Nemo haec fragmenta ignorat; ut vero ex iis quoque legibus, quae in aere extant, id quod supra dixi evincam, conferas quaeso Bantinae vv. 3: *neive quis magistratus testumonium ei denontiari sinito;* v. 5: *eum sufragium ferre nei sinito;* v. 19: *is magistratum nei petito neive gerito neive habeto . . . neive eum*

censor in senatum legito. Item legis repetundarum v. 28: *neive equom adimito;* 71: *neive quis eum avocarier iubeto neive abducito;* sententiae Minuciorum 32: *is eum agrum nei habeto neive fruimino;* 34: *niquis prohibeto, nive quis vim facito;* legis agrariae 10: *neive quis sententiam deicito, neive ferto..;* 11: *neiquis facito;* 62: *nei iurato.* Cf. legis Antoniae de Termessibus vv. 6—15, Rubriae vv. 51—52, Iuliae municipalis 17—18, 56—58, 70—71, 85—86, 90, 94—96, 99, 104—107, 129, 132, 139 cet.

Quaeritur qui factum sit, ut omnes quas citavi leges illa formula careant. Fortasse quispiam obiiciet, duodecim tabularum fragmenta, quae primo loco posui, post incendium Gallicum posteritati nisi libris non tradita esse ideoque procedente tempore cuivis latinae linguae immutationi fuisse obnoxia, ceteras autem quas nominavi leges senatusconsultum anni 186 ante C. n. non continuo insequi. Nam lex repetundarum anno 123 vel 122 lata est. At primum fragmenta duodecim tabularum non ita sunt immutata, ut omnis eius dictionis memoria inde, si memoriae locus fuisset, tolli posset, quippe quoniam etiamnunc notitiam multarum vetustissimi sermonis partium ex uno hoc fonte sumimus. Ceteras autem leges publicas populi Romani quid est quod credamus formulam antiquitate sancitam, si modo sancita fuit, prorsus abiecisse, donec in obscurioribus inferioris aetatis monumentis et in lucubrationibus scriptorum restitueretur in integrum?

Res, nisi quid me fallit, vertitur in eo, quod formula illa nihil aliud est, quam imperativus *nolito*, *nolunto* .... orationis rectae in orationem obliquam translatus. Priorem formam Plautus habet loco a Madvigio iam citato Poenuli IV, 2, 50: *Nolito edepol devellisse*; sed legibus in oratione recta sufficit commendaturque a simplicitate ac perspicuitate imperativus *nequis facito*, *ne .. faciunto;* in obliqua nudus subiunctivus *nequis faciat*, *ne faciant* lenior est minuitque vetandi severitatem. Ea de causa formula illa propria est edictorum, ut quae non oratione recta composita sint, sed apta ex verbo *edico*, *edicit*, *edixerunt*, *edicendum censuere*, sive id praemissum est, sive in posterioris aetatis monumentis ac liberiore scribendi genere praetermissum.

Verbum substantivum simplex ab hac ratione imperativi in obliquam formam convertendi videtur exceptum fuisse: cf. v. 10 senatusconsulti: *magister .... quisquam eset* (bis). Neque in ceteris antiquissimae latinitatis reliquiis tale quidquam *nequis fuisse vellet* inveni. Nam quod compositum v. 21 *arfuise velent* suo quodam iure vel potius privilegio utitur, non magis me offendit, quam passiva declinatio *potestur*, *possitur*, *poteratur*. In compositis his verbis natura simplicium delitescit. Sed causam cur verbum substantivum ita construi nequeat, nisi penitus ex intima philosophia ac verborum *esse* et *velle* necessitudine haurias, non enodabis. Qui *fuit*, iam non *est; nolito fuisse* absurdum est.

4) Si pronominum *is* et *hic* in senatusconsulto usum examinas perpendisque, cur vv. 3, 4, 5, 6, 8, 9, 11, 17, 18, 23, 24, 25, 27, 28 nihil variationi concessum, *hic* non amplius ter, 13, 23, 26, scriptum sit, eam vides regulam observatam esse, ut *hic* re vera primae personae vices gerat, *is* ceteros homines et res, quae non ad primam pertinent, complectatur. Prima in senatusconsulto nostro persona est vel primae personae sunt, qui tabellas (v. 29) mittunt, consules vel consul, alter ambove. In prooemio scholarum hibernarum superioris anni explicatius de ea re dixi; demonstravi eandem normam in omnibus liberae rei publicae ac primorum imperatorum aetatis monumentis legalibus facile agnosci; pronomina confundi non coepta esse ante leges Salpensanam, Malacitanam, coloniae Iuliae Genetivae, neque in his tribus legibus alios casus confundi, nisi dativum et ablativum pluralis; inde vero per omnia saecula propagatum errorem insigniaque eius documenta esse titulos Corporis iuris. Haerebam autem in eo, utrum ipsi iureconsulti, qui Digesta, Institutiones, Codicem saeculo sexto ediderunt, an librarii saeculi septimi et decimi plectendi essent. Theodorus Mommsenus respondit, Digestorum se vidisse errorem, sed persuasum habere, iam archetypos libros, cum e manibus cancellariorum imperatoris

Iustiniani prodiissent, ea macula affectos fuisse. Etiam Guilelmus Henzenus de antiquitate tabularum, quae leges Malacitanam et Salpensanam continent et ab Emmanuele de Berlanga, viro de his studiis optime merito, admirabili cum accuratione expressae sunt, sibi propter formam litterarum affirmavit constare. Ergo id quod alterum posueram, iam pro explorato habendum est, inde a Domitiani aetate magnam pronominum perturbationem factam esse neque libris manu scriptis, qui hodie extant, exceptis Herculanensibus, de illis pronominum casibus et de nominativo plur. masc. generis fidem haberi posse.

Sed antiquiorum legum latinitas nunquam ab ea regula deflexit. Lex ipsa semper *haec* est, nunquam *ea*. Quae cum ita sint, non probo Mommseni quamvis sit speciosa coniecturam, quam fecit C. I. L. I. p. 71 ad LXXVIII, apud Ciceronem in oratione pro Caecina habita cap. 33, 95 *rogatum* librariis deberi, legendum esse *rogato*, ut veterem imperativi passivi formam recuperemus. Locus in libris (apud Halmium) hic est: *Sulla legem tulit ..... hoc tibi respondeo, adscripsisse eundem Sullam in eadem lege* (T; *eandem legem* RAL℞O), SI QVID IVS NON ESSET ROGARIER, EIVS EA LEGE NIHILVM ROGATVM (*rogari* cum Iuntina L℞.) Sed Sullae ipsa verba haec fuerant: *si quid ius non est* (vel *sit*) *rogarier, eius hac lege nihilum rogatur* vel *rogato*. Cf. notas Probi ed. Mommsen p. 273, Huschke, Iurisprudentiae anteiustinianeae ed. 2 p. 71: S·Q·S·S·E·Q·I·N·S·R·E·H·L·N·R· *si quid sacri sancti est, quod ius non sit rogarier, eius hac lege nihilum rogatur*. Sic enim hae notae explicandae sunt; alteram formulae partem *eius hac lege n. r.* plus triginta locis scimus servatam esse. Cicero igitur cum legis Sullanae exceptionem orationi suae intexeret, obliqui sermonis gratia *esset* et *ea lege* scripsit. Duo eiusmodi exempla, orationis rectae alterum, alterum obliquae, velim componas:

Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oetier solet, uti coaequetur sedulum, uti quadrantal vini octoginta pondo siet. (Plebiscitum Silliorum apud Festum 246).

L. Aimilius ... decreivit, utei quei servei ... habitarent, leiberei essent; agrum oppidumque, quod ea tempestate posedisent, item possidere iovsit, dum poplus senatusque Romanus vellet.

Cicero haec edidit: *hoc tibi respondeo, adscripsisse eundem Sullam in eandem legem, si quid ius non esset rogarier, eius*[8]) *ea lege nihilum rogatum esset.* De structura *nihilum — esset*, coniunctione nulla praemissa, infra dicetur.

Quod supra monui in universa de usu pronominum quaestione esse tenendum, *hic* primae personae esse, *is* tertiae cuiuslibet personae vel rei, id etiam latius patet ad coniunctiones quasdam et adverbia. Nam primae personae notio finita est, infinita tertiae. Hinc ducendum esse arbitror, quod adverbia *posthac* et *arvorsum hac*, de quibus pag. 14—16 exposui, nulla explicatio subsequitur, cum adverbia *postea*, *arvorsum ead* particula *quam* et verbo finito, velut *arvorsum ead quam suprad scriptum est*, explanentur.

Qua de causa scriba v. 22 senatusconsulti pluraliter *haice*, v. 26 singulariter *hoce* dixerit, enarratio rerum (cap. IV.) declarabit. Nunc de vocali *e* adiecta disserendum est.

5) Particulae *ce* vim demonstrativam, rationem pronominis *hice*, *haece*, *hoce*, perversitatem scripturae *hicce*, *haecce*, *hocce* cet. aperuerunt Franciscus Ritter ad Ter. Andr. I. 5, 1, Madvigius ad Cic. de fin. p. 75, Ritschelius Proleg. Trin. CII. Sed de usu pleniorum et decurtatarum formarum et de temporibus, quibus utrumque genus in inscriptionibus tribuendum sit, quae hodie docentur, fide digna non sunt.

---

[8]) Formulam genuinam *eius hac lege nihilum rogatur* et corruptam *ex hac lege nihilum rogatur* in altera quaestionis meae de usu pronominum *hic* et *is* particula tractaturus, Henricum Jordan in libro *Kritische Beiträge* p. 343 rem occupasse video, nisi quod legis agrariae fragm. B. 13 et legis coloniae Genetivae tab. I. 2, 28 praetermisit. E duobus his locis, temporum ratione habita, quam longe corruptela serpserit discimus.

Verum aliqua ex parte vidit Ritschelius *de titulo Mummiano* p. V. = *Opusc.* IV, 89: pro Mummii aetate non exspectari in titulo Mummiano *hanc* pro *hance* v. 8, quamquam *hasce* habeas v. 5. Regnare enim formam bisyllabam solam in senatusconsulto *haice*, *hoce*, in tabula Bantina *hace*, *hance*, *hoice*, in Genuati *hisce finis*, in lege repetundarum *hoiusce*, *heisce*, *hance*, *hace* tam crebris exemplis, ut semel editum *hac* fidem non habeat, in lapidibus Campanis *heisce;* primam esse Pollanam inscriptionem, in qua et *hince* et simul *heic* legatur; posteriorem aetatem bisyllabas formas prorsus ignorare, adeo ut decurtatis sine ulla exceptione iam leges Cornelia de XX quaestoribus et Antonia de Termessibus utantur. Quo magis mirari licere, non tantum *hoc saxsum* incisum esse L. Scipionis sepulcro circa annum 139 ante C. n., in quo breviorem formam exegerit numerorum ratio, sed etiam ante vocales *hanc aedem* integroque ante titulum Mummianum saeculo *honc oino* in eo Scipionum titulo, qui sit omnium antiquissimus; *quocirca, cum grammaticorum aliqua doctrina propter aetatem senatusconsulti de Bacchanalibus cogitari nequeat, haud scio an aliquid in hoc genere iam illis temporibus carminum et legum diversitati datum sit.* Recte omnino praeter ea, quae de *hisce*, *hoiusce*, *hasce* formis censuit. Hae enim censui censendo, ut aiunt, in tota quaestione non sunt, quoniam latini oris indoles ea est, quae *sc* consonantes in extremis vocabulis positas non patiatur. Neque obliviscendum est, Ciceronem quoque et qui eum secuti sunt pleniores formas *huiusce*, *hisce* dat. abl., *hosce*, *hasce* in usu habuisse; quid de ea re inscriptiones primi, alterius, tertii p. C. n. saeculi doceant, infra (cap. V.) videbimus.

Postmodum vero Ritschelius Accii grammatici auctoritati eos, qui inscriptiones longioribus formis insignes inde ab anno circiter 130 ante C. n. concepissent, cessisse suspicatus est *Monum. epigr. tria* p. 33 = *Opusc.* IV, 156; Corssenus quoque latinitatem magnopere fluctuasse opinatur *Aussprache* II. 603; Friderico Schmidt (Quaestiones de pronominum demonstrativorum formis Plautinis, Berol. 1875 p. 58) *post Plauti Terentiique aetatem formas in „ce“ exeuntes rursus in usum revocatas esse, fortasse per L. Accium, notum est.* Sed Accii in hac re ullas partes fuisse nego, nego formas in *ce* exeuntes in usum revocatas esse. Controversia redit ad legalium monumentorum et non legalium differentiam.

Adverbium *hace* nusquam legimus, *hac* quater in iisdem inscriptionibus, quae ipsius pronominis nullam nisi longiorem formam habent: *post hac* v. 13 senatusconsulti nostri, legis Bantinae v. 16, agrariae v. 28; *arvorsu hac* in titulo Lucerino, quem p. 15 citavi, in eodem integrum ablativum IN · HOCE · LOVCARID, de qua discrepantia in cap. V. agemus.

6) Pariliter atque in *hice*, *hic* legalia monumenta a ceteris in scripturis *utei*, *ut* differunt. Duo Scipionum epitaphia annorum 150—135 iam decurtatam praebent: *mors perfecit tua, ut essent omnia brevia* (versus Saturnius), et *maiorum optenui laudem, ut sibei me esse creatum laetentur; stirpem nobilitavit honor.* Etiam antiquior est titulus Pollanus C. I. L. I. 551: *primus fecei ut de agro poplico aratoribus cederent paastores.* Mommsenus et Ritschelius referunt ad annum 132 a. C.; Henricus Nissen a me rogatus certissimis, quae alio loco spero me publici iuris facere posse, argumentis mihi persuasit, Popilium illum censorem anni 159 ante C. intellegendum esse. Cum hisce monumentis facit titulus Mummianus ibid. 542 anni 146 ante C.; quamquam enim de lectione v. 5 *cogendei dissolvendi tu ut facilia faxseis* minime constat, versus 6 *perficias decumam ut faciat verae rationis* nihil habet, de quo dubitemus.

Leges autem liberae rei publicae praestant scripturam pleniorem plus octagies. Primum lex Iulia anni 45 ante C. n. *ut* scribit, ne coniunctio et infinitivus inter se consonent: *ut utei fruei liceat . . . quominus utantur fruantur* v. 74, eadem circiter decies *utei*, ubi nihil eiusmodi devitandum fuit.

De scriptura *uti* cap. V. in *i pinguis* quod vocatur et *i tenuis* explanatione dicam; hic non tacendum est, sollemnem latinitatem etiam post Augusti tempora, cum scriptura *ei* abrogata esset, gravitatis causa *uti* potius quam *ut* scripsisse. Unam nomino legem regiam quae vocatur de imperio Vespasiani C. I. L. VI. 930, quae circiter decies *uti*, *utique* (quod cavendum est ne cum adverbio affirmandi *utique* confundas), sed nullo loco, sive consonans sive vocalis coniunctionem sequitur, *ut* scribit.

Alia quaedam, quae ratio grammatica ut huic capiti III. assignemus exigere videatur, commodius ad caput IV. et V. reiiciemus.

Caput IV.
Miscellanea quaedam, quae ad enarrationem rerum spectant.

In tabulae nostrae latinitate explicanda identidem ad res, quae verbis subiectae essent, devertimus; iam vero tempus est, quae ex hoc genere inciderunt, complecti atque alia, quae ad eas illustrandas pertineant, addere. Sane in hac litterarum antiquarum parte, si in aliqua, verum est Lucretii illud: multa in his rebus quaeruntur multaque nobis clarandumst, plane si res exponere avemus (IV. 777.) Quoniam vero hanc provinciam, si omnia, quae eo pertinent, velis persequi, iis pateat relinquendam esse, qui rerum antiquarum ex ordine enarrandarum curam in se susceperint, pauciora quaedam, ex quibus de summa argumenti existimare possis, comprehendemus.

Tota inscriptio in duas partes dividitur; prior (v. 1—22 *scriptum est)* primam tantum (v. 6) et tertias personas habet, altera (v. 22 *haice in coventionid exdeicatis* usque ad 30 *faciatis utei dismota sient)* secundas personas alloquitur. In priore igitur parte consules senatusconsultum referunt, altera pars est epistula proprie dicta; neutrum *haice* (v. 22) respicit ad priorem partem.

A. Prior pars incipit a mentione consulum, diei, loci; *apud aedem Duelonai* est *in cella apud aedem Bellonae;* idem est *sub aede Kastorus* in senatusconsulto de Tiburtibus; per ellipsin Cicero ad Q. fratrem II, 3, 3: *senatus ad Apollinis fuit, ad Apollinis senatusconsultum factum est.* Testes, qui dicuntur scribendo adfuisse, una cum eo magistratu, qui senatum habuit, ea, quae scripta sunt, conceperunt; cf. Becker, Alterth. II, 2, 443, Cic. ad fam. XV, 6. Numerus testium non semper idem fuit.

V. 3 pluralis *censuere* ad consules et senatum vel senatores referendus est; censuerunt, omnibus foederatis *ita*, ut deinceps perscribitur, *edicendum* esse; Livius de eadem re: *censuit senatus ... edici in urbe Roma et per totam Italiam edicta mitti* (39, 14); *per totam Italiam litteris hospitum de senatusconsulto et contione et edicto consulum acceptis trepidari coeptum est* (c. 17).

Ipsum edictum, a superioribus verbis intervallo quodam in aere distinctum, e quattuor membris constat, quae hisce litteris licebit significare: **a)** v. 3—6: *neiquis — cosoleretur;* **b)** v. 7—9: *Bacas — censuere;* **c)** v. 10—18: *sacerdos — censuere;* **d)** 19—22: *homines — scriptum est.*

Unumquodque membrum bipartitum est. Primum aliquid in universum edicitur; deinde exceptio senatui permittitur ita, ut ii, quorum intersit edicto solvi, ad praetorem urbanum Romam veniant, ut praetor urbanus eorum verba audiat senatumque de iis rebus consulat, ut senatus decernat, dum minimum centum senatores adsint. Livius sic: *apud praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum consuleret; si ei (*scil. *qui apud praetorem professus esset) permissum esset, cum in senatu centum non minus essent ..* (c. 18).

Primum membrum exceptionem eiusque condiciones plane perscriptas praebet, alterum et tertium brevius repetunt, brevissime quartum. Licetne suspicari, consulem Postumium, cum senatores sententiam rogaret, eam minimum quadrifariam divisisse? Mommsenus trifariam censet, ut infra videbimus, primaeque sententiae tribuit eas, quae fortasse prima et altera sunt. Suffragatur ei, quod verbum *censuere* v. 9 et v. 18 adscriptum, v. 6 post *cosoleretur* non est, de qua re item infra videbimus; exceptio quater repetita refragatur, obstat etiam trium generum *ceivis Romanus*, *nominus Latini*, *socium* enumeratio v. 7, cuius loco v. 3 unum *eorum* positum est.

Namque primum membrum, quod a *neiquis* v. 3 incipit, eadem tria vocabula, cum consul senatores interrogavit, habuerit necesse est, eademque tria genera intellegitur post verba *de Bacanalibus* enumerata fuisse; in praescriptione edicti omnibus enim vel una edictum erat vel edicendum esse senatus censuerat. Scriba autem, qui edictum in epistulae formam redegit, a consule iussus, v. 2 duo genera praetermisit, nominavit unum, cuius ii erant, ad quos singulae epistulae datae sunt. In altero membro v. 7 scriba senatus sententiam integram dedit. Si amputasset ea vocabula, claudicaret oratio in hunc modum formata: *Bacchas vir nequis adiisse vellet socium* vel *socium quisquam.*

Iam singulorum membrorum argumenta, quod eius fieri poterit, enarremus.

a) V. 3—6 *Neiquis — cosoleretur.*

α) **Edictum:** *Neiquis eorum (B)acanal habuise velet.* Quid est *Bacchanal habere?* Livius 39, 18, 7—9 ita refert: § 7 *datum deinde consulibus negotium est, omnia Bacchanalia Romae primum, deinde per totam Italiam diruerent, extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset.* § 8. *In reliquum deinde senatusconsulto cautum est, ne qua Bacchanalia Romae neve in Italia essent; si quis tale sacrum sollemne et necessarium duceret nec sine religione et piaculo se id omittere posse, apud praetorem urbanum profiteretur ....;* § 9 *si ei permissum esset, ita id sacrum faceret, dum* cet. In § 7 *Bacchanalia* sunt aedes, loca mysteriorum; in § 8 inde a verbis *si quis* et in § 9 ipsa mysteria vel sacra sunt. Livius vel auctor eius ut nonnulla antiquissimis fontibus interpretis officio functus interposuit, ita alia, quae quid different inter se non intellexerat, contraxit et quodammodo conglutinavit. Nostro tabulae loco *Bacanal* est *aedes; Bacanal habere* non vertimus: *eine Bacchusfeier abhalten*, de qua re infra agitur, sed *einen Bacchustempel*, *eine Stätte besitzen*, ut v. 11 *pecuniam habuise* dicitur. Illa Bacchi sacraria pessima arte, diabolica constructa erant; qui eo introducti aut coniurare aut sociari facinoribus noluerant, machinae inligati ex conspectu in abditos specus abripiebantur, pro victimis immolabantur, dicebantur rapti a diis. (Liv. cap. 13, 11—13.)

β) **Exceptio** v. 3—6: *sei ques esent, quei sibei deicerent necesus ese Bacanal habere .... cosoleretur.* Haec verba illustrantur versibus 28—29: *ea Bacanalia, sei qua sunt, extrad quam sei quid ibei sacri est, ita utei suprad scriptum est*, et Livii verbis: *extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset.* Ergo vv. 3—6, si circumlocutione utimur, haec volunt: *si qui essent, qui crederent, sibi religionis causa necesse esse, aedem vel cellam Bacchi habere, neque eam facinorum causa nuper exstructam esse, sed antiquam et consecratam, iis eam habere liceret, si senatus eorum causam probasset*, scilicet *senatus noster*, non alicuius populi. Romae nemo sic loquitur.

b) V. 7—9 *Bacas — censuere.*

α) **Edictum:** *Bacas vir nequis adiese velet*, i. e. *Bacchas mulieres ne quis vir adiisse vellet;* oratione recta: *ne quis vir adito.* Cf. p. 20.

Fecenia Hispala libertina consuli Postumio originem sacrorum exprompserat: *primo sacrarium id feminarum fuisse, nec quemquam eo virum admitti solitum. Pacullam Anniam Campanam sacerdotem omnia, tamquam deum monitu, immutasse; nam et viros eam primam filios suos initiasse, et nocturnum*

sacrum ex diurno fecisse. Ex quo in promiscuo sacra sint, nihil ibi facinoris, nihil flagitii praetermissum. Viros velut mente capta cum iactatione fanatica corporis vaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim (cap. 13, 8—12). Propterea edicitur, cum alii deorum aliquem cultum concessum esse credant (c. 15, 7), si qua aedes de senatus sententia non destructa sit mulieresque Bacchae eo conveniant, ut primo convenissent, ne tamen vir quisquam iis sacris initietur, civis Romanus nominisve Latini neve sociorum quisquam. Nam Bacchanalia tota iam pridem Italia fuerant (c. 15, 6); Romam huius mali labes ex Etruria veluti contagione morbi penetraverat (c. 8, 1).

β) **Exceptio** vv. 8—9: *nisei — iovsisent.* Exceptio huic alteri sententiae subiecta nobis risum movet. Sed in hac quoque parte tenere debemus, quae consul fatetur, ubi deorum numen praetendatur sceleribus, subire animum timorem, ne fraudibus humanis vindicandis divini iuris aliquid immixtum violetur (c. 16, 7). Idcirco si quis aliqua religione commotus opinatur se Bacchis initiari debere, praetorem urbanum adeat, exempli gratia, qui voti damnatus est.

De plurali numero *iovsisent* et de significatione eius verbi cf. p. 6—7.

c) V. 10—18: *Sacerdos — censuere.*

α) **Edictum.**

1) *Sacerdos nequis vir esset. Magister neque vir neque mulier quisquam eset. Neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuise velet.* Fecenia Hispala (cap. 13, 8) consuli narrat, quamdiu id sacrarium feminarum fuisset, *sacerdotes invicem matronas creari solitas.* Pristinam igitur consuetudinem senatus tolerat, sed ne qua nova inde pericula existant, omnem tollit collegiorum sive formam sive similitudinem. *Frequenter enim coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia senatusconsultis et pluribus legibus sunt sublata, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset.* Licet enim Asconius (in Cornelianam p. 75 Or.) non de Bacchanalibus haec scripserit, tamen idem apparet senatum sensisse. Edocet nos Mommsenus, inter sacerdotem et magistrum Baccharum idem interesse, quod intersit inter Arvalium flaminem eiusdemque collegii magistrum; sacrorum curationem ad illum pertinuisse, hunc pecuniam et in universum rem publicam collegii videri tractasse. Sed quid subest verbis senatusconsulti *neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuise velet?* Si genetivus *eorum* non pendet ab accusativo *pecuniam comoinem*, sed a nominativo *quisquam*, *pecuniam communem habere* est *arcam habere: nullae Bacchae neve viri illis mysteriis initiati pecuniam inter se communem habento*: *sie dürfen keine gemeinschaftliche Casse besitzen.* Idem liberius Livius his verbis: *neu qua pecunia communis ... esset.* Abundat autem in ista interpretatione genetivus *eorum* cum substantivo *quisquam* coniunctus. Velles etiam verba sic collocata essent: *neve pecuniam comoinem quisquam eorum habuise velet.* Propterea *comoinem* et *eorum* videntur coniungenda esse: *pecuniam, quae eorum communis est.*

Quod Livius addit: *neu quis magister sacrorum aut sacerdos esset* (cap. 18, 9), confundit ille, quae senatusconsultum distinguit.

2) Verbis *neve magistratum neve promagistratud neque virum neque mulierem qui(s)quam fecise velet* omnis magistratum et qui eorum loco sint creatio interdicitur, de quo membro p. 10 dixi.

3) V. 13—15: *Neve posthac [quisquam] inter sed coniourase neve comvovise neve conspondise neve conpromesise velet. Neve quisquam fidem inter sed dedise velet.* Quinque horum verborum significationem quomodo satis discernam nescio; adeo Verrius Flaccus, grammaticorum longe doctissimus, tali labori impar fuit: *Convoti iisdem votis obligati* (Festus de significatione verborum p. 42). *Consposos antiqui dicebant fide mutua colligatos* (p. 41). *Consponsor coniurator* (p. 59). Ipse igitur Verrius nihil certi quod traderet habuit. Ciceroni, ut Forc. vidit, *conpromittere* et *iurare*

vel *coniurare* synonyma sunt. Cf. ep. ad Atticum IV, 15, 7: *Tribunicii candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros. Apud eum HS quingena deposuerunt, ut qui a Catone damnatus esset, id perderet et competitoribus tribueretur.* De eadem re ad Quintum fratrem II. 15 b, 4: *Tribunicii candidati compromiserunt, HS quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere eius arbitratu, ut qui contra fecisset, ab eo condemnaretur.* Idem pro Scauro 38: *fidem primam ipsa tollit consensio; quae patefacta est compromisso Sardorum et coniuratione recitata.* Quae Orellius adnotat, illicitam consensionem Sardorum patefactam esse compromisso aliquo eorum, exemplum eius in manus patronorum Scauri pervenisse et aliquem horum id recitari iussisse; id autem *compromissum* invidiose simul *coniurationem* appellare oratorem, clementius quam iustius disputata sunt. Nam iusiurandum antiquitas multis rebus interposuit, quas nos fide nostra spondemus. Livius in illis mysteriis enarrandis uno coniurandi vel iurandi verbo utitur; initiatos ex carmine sacro, praeeunte verba sacerdote, precationes fecisse, *in quibus nefanda coniuratio in omne facinus continebatur;* deinde; *qui ... nec earum rerum ullam, in quas iure iurando obligati erant, in se aut alios admiserant.* Primo loco iusiurandum in omnibus mysteriis de ipsis caerimoniis celandis datur; sed Livius vel auctor eius, etsi Fecenia Hispula *occulta deorum initia* (cap. 13, 5) et *silenda* (10, 5) se enuntiaturam esse pollicetur, nihil amplius videtur novisse. Senatusconsultum quinque illis verbis omnes quotcunque excogitari vel praetendi possint coniurandi modos interdicit ideoque ab ipso coniurandi verbo usque ad fidem dandam quasi descendit; fides data iusiurandum per se non continet.

Sed utut est, phrasis verbis *conpromesise velet* finitur, neque aut e superiore aut ex inferiore enuntiato substantivum *quisquam* nostra cogitatione, ut incogitantiam scribae excusemus, ad versum 13 aut transferre aut referre fas est.

Quidquid edicitur, in futurum tempus valet; quod huic uni edicti loco *post hac* additur, mirationem facit. Sed cum in nostro instrumento cautione opus sit ne temere opinemur quidquam abundare, coniiciam senatum hoc velle: si quis antehac iuraverit, caerimonias se celaturum esse, eum non iure iurando solvi, modo ne quid criminis ibi lateat, sed posthac omne in illo cultu iusiurandum vetatur. Magis enim, quam in ulla re, in solvendo iureiurando animum ille subit timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini iuris aliquid immixtum violemus.

4) *Sacra in oquoltod ne quisquam fecise velet. Neve in poplicod neve in preivatod neve extrad urbem sacra quisquam fecise velet, nisei* cet.

Forsitan quispiam praetenderit, collegiorum quidem iura Bacchis non concedi, iusiurandum quoque vetari, sed sacra ipsa per se libera esse. Ne igitur tanta pestis ac pernicies civitatis vix detecta, aegre oppressa denuo quocunque modo se insinuet, omnia eiusmodi sacra, sive in occulto, sive in publico, sive in privato, sive extra urbem, simul prohibentur.

β) **Exceptio** eadem est, quae in altero membro.

d) V. 19—22: *Homines — scriptum est.*

α) **Edictum.** *Homines plous V oinuorsei, virei atque mulieres, sacra ne quisquam fecise velet, neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus arfuise velent.* Ii quoque, quibus senatus sacra permiserit, cavetur ne frequentes faciant. Summum quinque homines sint, tres mulieres, sacerdos et duae aliae, et duo viri. Livius cap. 18, 9: *si ei permissum esset, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent.* Hic quoque, ut v. 14: *Neve quisquam fidem inter sed dedise velet,* probe memineris singularem numerum *quisquam* notionem singularis et pluralis habere, sed cum singulari verbi construi. Cf. p. 11 sub **12.** Propterea nominativus *homines plus quinque universi, viri atque mulieres* plurali verbi, qui ei debetur, privatus est; *quisquam,* quia verbo finito proxime collocatum est, numerum eius moderatur. Nobis quidem talis edicti forma: *homines*

sufficeret

plus quinque universi, viri atque mulieres, sacra ne fecisse vellent, sive oratione recta: *sacra ne faciunto;* sed pronomen *quisquam* coniunctioni *ne* adiunctum auget vim vetandi: *irgend welche.*

Sententia haec est: ii quoque, qui permissu praetoris urbani senatusque sacra facient, cavetur ne frequentes faciant. Summum quinque homines sint universi, i. e. *im Ganzen, zusammen,* tres mulieres, quarum una sacerdos, duo viri. Livius cap. 18, 9: *si ei permissum esset, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent.* Nam quod ad multitudinem Baccharum virorumque iis sacris initiatorum attineat, consul dixit multa milia hominum esse. Nullas adhuc vires coniurationem, ceterum incrementum ingens virium habere, quod in dies plures fiant. *Maiores vestri ne vos quidem forte temere coire voluerunt, et ubicunque multitudo esset, ibi et legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse* (cap. 15, 8—11).

β) **Exceptio:** *nisei de pr(aetoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad scriptum est.*

Haec verba ostendunt, praetorem urbanum, nisi illorum hominum causam ipse probaverit, de ea ad senatum referre non debere. Primo igitur loco praetori urbano exceptio tribuitur; adversus eius sententiam provocare ad senatum neque foederati possunt, neque cives Romani, neque nomen Latinum. — Nomen Latinum et foederati sunt peregrini; praetorem urbanum pro peregrino adire iubentur, quod is Romae eandem Bacchanaliorum causam cognitam habet.

In membrorum **b** et **c** fine vv. 9 et 18 verbum CENSVERE absolute positum est. In nonnullis senatusconsultis hoc verbum semel in fine legitur[9]), velut in eo, quod de Asclepiade, Polystrato, Menisco in amicorum populi Romani formulam recipiendis anno 78 ante C. n. factum est (C. I. L. I. 203). Latinus eius textus desinit in notam C., i. e. *censuere;* Graeca versio eodem loco habet ἔδοξεν. Saepius ἔδοξεν adscriptum est in senatusconsulto de Thisbaeis anni 170 ante C. n., cuius Graeca tantum versio aetatem tulit, publice ea quidem, ut Mommsenus demonstrat (Ephem. epigr. I. p. 280), Romae facta. Hac formula *significatur, post relationem discessione facta id de quo agitur maiori parti praesentium placuisse* (Mommsenus ibid I. p. 285). Saepe enim facta est *sententiae divisio, hoc est ut de singulis, non de pluribus una sententia diceretur* (Scholiasta Bobiensis in orat. pro Milone ed Or. 282). Quod in nostro senatusconsulto v. 22, in fine membri a me littera **d** signati *censuere* deest, negat Mommsenus dubitari licere, quin non totum senatusconsultum cum Teuranis communicatum, sed extrema ab edicto aliena dempta sint. Mihi secus videtur; eam ob causam *censuere* v. 22 deesse non crediderim. Si enim ipsum edictum in plures sententias divisum fuit, consentaneum non est, ex ultima edicti parte cum aliis rebus, ab edicto alienis, unam sententiam esse conflatam. Omissionem repeto ex scribae commodo, qui cum exceptionis formulam bis iisdem verbis perscripsisset (vv. 8—9, 16—18), v. 21 ea re supersedit; sententia enim ipsa, cum in senatu rogata est, non in hunc modum: *utei suprad scriptum est* concepta fuit, sed eandem exceptionem habuit, quam priores sententiae partes.

---

[9]) Municipiorum ordines, quorum unusquisque sibi facile secundus a senatu videretur, atque adeo collegia quaedam decreta sua soloecismis scatentia formulis senatusconsultorum exornabant, quamdiu imperium Romanorum stetit. Pauca exempla selegi: decretum Tergestinum C. I. L. V. 532 est annorum 138—161 p. C.; Murat. 563, 1: *collegium fabrum et centonariorum,* i. e. Flickschneider, ... *q(uid) f(ieri) (placeret), d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt): ... excusandam honesto viro Iuliano huius tardae cogitationis nostrae necessitatem petendumque ab eo, libenter suscipiat collegi nostri patronatus honorem tabulamque aeream cum inscriptione huius decreti in domo eius poni. Censuerunt.* Hos centones non bene consuerunt. Inscriptio est anni 190 p. C. — I. R. N. 6034, 242 p. C.: *censuerunt placere universis conscriptis .... Nummiae Variae C. f. tabulam aeneam huius decreti nostri verba continentem offerri. Censuer.* Ibid 591, anni 395 p. C., Genusiae prope Tarentum: *placet igitur, huic tabulam aere incisum per viros principales offerri et aput poenates domus huius dedicari. Censuerunt.*

Cur membro **a** illud *censuere* non adiunctum sit, non liquet. Fortasse excidit, ut *quisquam* v. 13. Si membra duo, quae litteris **a** et **b** signavi, unius sententiae fuissent, duplex exceptio, ni fallor, supervacanea fuisset.

B. Epistula ipsa inde a verbis: *Haice utei* v. 22.

Altera pars instrumenti a priore non solum persona secunda *exdeicatis*, *esetis* cet., sed etiam liberiore consecutione temporum, quae in illa ad obrussam exacta est, valde discrepat. Priusquam vero in quae membra distributa sit perpendamus, singula verba, quorum explicatio ad argumenti enarrationem conducit, oportet ponderemus.

Haice v. 22, *hoce* v. 26. Illud pertinet ad tria vel quattuor edicta prioris partis, *hoce* ad totam epistulam; *haice exdeicatis* respondet ad v. 3 *ita exdeicendum.*

Vtei vv. 22: *utei exdeicatis*, 23: *utei esetis*, 25: *utei inceideretis*, 27: *utei ioubeatis*, 28—30 *utei faciatis* absolute positum est; efficit vim imperandi, quae nudo subiunctivo non inest. Quod verba *utei faciatis* vv. 28—30 coniunxi, velim memineris, priscam latinitatem aliam, ac nos, rationem casuum et attractionis esse secutam. Ut plane dicam quod sentio, permittas quaeso ut loco neutrius *Bacanalia* quodlibet vocabulum feminini generis ponam: *atque utei eas cellas faciatis utei dismotae sient.* Cf. legis agrariae v. 28: *quae viae publicae fuerint, eas faciunto pateant vacuaeque sient;* Legis repet. 18: *eos facito in contione recitetur;* Cic. ad Q. fr. II 15 b § 2: *haec me ut confidam faciunt.*

Coventio est *contio*, quam litterarum mutationem in § V. persequar. Cf. Varro de l. l. VI. 88, 91, 93, Festus p. 38 M.

Exdeicatis. Gaius I. § 6: *Ius edicendi habent magistratus populi Romani.* Quemadmodum vero *senatus* nomen ad externos populos transfertur, sic etiam alia verba legalia, cum praesertim magistratus foederatorum iussu senatus edicant.

Sciens, scientes cum accusativo coniunctum in nullo alio priscae latinitatis fonte inveni. Plerumque est genuini adiectivi loco. Apparet senatui verbum finitum *utei sciretis* non suffecisse, sed eum fortiter iubere voluisse: *ut sciretis et teneretis.*

De coniunctione *arvorsum ead quam* cf. pag. 14. Senatus non iis capitalem poenam minatur, qui antehac Bacchanal habuerint, sacra fecerint, nisi crimina commiserunt, sed *fecisent* futuri exacti loco est pendetque a perfecto *censuere* v. 25; enuntiatum rectum: *si qui erunt, qui advorsus ea fecerint, quam supra scriptum est, iis rem capitalem facitote* in orationem obliquam conversum est. Consules eos, *qui tantum initiati erant nec earum rerum ullam, in quas iure iurando obligati erant, in se aut alios admiserant, in vinculis relinquebant;* sed *qui falsis testimoniis, subiectione testamentorum, fraudibus* criminibusque *aliis contaminati, eos capitali poena afficiebant* (Liv. cap. 18). Haec igitur sanctio valet in reliquum.

Vbei facilumed gnoscier potisit, tabula aena figi iubetur. Formula *unde de plano recti legi possit* tum temporis nondum constituta fuisse videtur. Lex repetundarum v. 66 habet: *ubei de plano recte legi possitur*, lex Malacitana I 21 et 8: *ita ut de plano recte legi possit.* De his formulis cf. caput V.

In diebus X, quibus vobeis tabelai datai erunt, i. e. *in diebus X proximis post has tabellas vobis datas*, quemadmodum lex Salpensana Domitiani aetate scribit I. 42: *in diebus quinq. proxumis post hanc legem datam.* Illud *proxumus* sive *proxsumus* iam leges Bantina, repetundarum, aliae usque ad leges coloniae Genetivae et Malacitanam addunt: *in diebus ... proxsumeis* vel *proximis*, *quibus ea negotia gerere desierit, quibus magistratum inierit* cet; *in biduo proxsumo, quo ..*, *in triduo proxsumo, quo* habent leges repetundarum et agraria; *in triduo proxumo, quam* Salpensana II. 15, eadem *in diebus quinque proxumis, ex quo* I. 44, in eadem temporis definitione. Lex repet v. 66: *praetor dies ..*

proxumos ex ea die, qua tributus factus erit, apud forum palam proscribito, i. e. *soviel Tage lang von dem Tage an; in eo anno proxumo, quo hanc legem populus iuserit* in lege Iulia municipali 160 est: *in dem nächsten Jahre nach Erlass dieses Gesetzes.* Sed inde a lege Iulia praepositio *in* saepe omittitur: *diebus X proxumeis, quibus* lex Iulia scribit 41, 144, 153, senatus consultum Augusti aetatis apud Frontinum II. 100.

Dimovendi verbo Livius substituit *diruere*, quem locum p. 24 adscripsi, *demoliri* cap. 16, 10.

Si igitur senatus in diebus X proximis post hanc epistulam acceptam magistratus Teuranorum Bacchanalia diruere iubet, quid est *ne minus trinum noundinum* vel *novndinum*[10]) v. 21—22? Quin NOVNDINVM ex verbo *novem* et *dies* vel vocabulo ab eadem qua *dies* stirpe profecto compositum sit, nemo fere dubitat. Magna autem est virorum doctorum controversia primum, sitne TRINVM NOVNDINVM neutrum singularis numeri, an genetivus pluralis feminini generis primae declinationis, deinde quae eius formulae in tota fere republica Romanorum usitatissimae vis ac notio fuerit in universum, denique quid sit in nostra tabula IN COVENTIONID EXDEICATIS NE MINVS TRINVM NOVNDINVM. Cf. Matth. Aegyptii librum p. 3 laudatum, qui p. 159 Salmasium citat, Becker et Marquardt, röm. Alterth. II. 3. p. 56, Mommsen, röm. Chronologie ed. II. p. 243, Rudorff, röm. Rechtsgeschichte II. 60 et 293, Bardt, Hermes IX. 306, Lange, Rhein. Museum 30, 359—64 sq., Neue, lat. Formenlehre I. 19, Bücheler, lat. Deklination 44, Corssen, Aussprache, Vokalismus und Betonung II 95 cet. Equidem quominus hanc quaestionem ea qua post tot virorum doctorum curas par est religione evolvam ac sine temeritatis reprehensione quid mihi videatur exponam, cum excursus I—III. typis iam mandaverim, terminis huiusmodi scriptionibus a diis hominibusque constitutis prohibeor. Quae cum ita sint, Mommseni sententiam enarrasse, quid ipse de ea re sentiam significasse satis habebo; argumenta, quibus meam coniecturam defendere posse videor, in altera commentationis parte explicabo.

Mommsenus igitur l. c. haec scribit: *Die gangbare Ansetzung des trinum nundinum auf 17 Tage beruht lediglich darauf, dass man verkehrter Weise sich gewöhnt hat, unter nundinum nicht die Woche, sondern den Anfangstag der Woche zu verstehen. Vielmehr wird hier wie bei triduum, trinoctium, triennium, durchaus nach allgemeinen Regeln zu entscheiden sein, ob die letzte Frist anfangend oder voll gedacht ist; das Letztere ist Regel und zum Beispiel sicher im Edict de Bacch. v. 22: haice utei in coventionid exdeicatis (nämlich durch öffentlichen Anschlag) ne minus trinum noundinum.*

Sed *exdeicatis* illa aetate fuit: *mündlich als Verordnung verkünden; ne minus trinum noundinum* mihi est: *mindestens an drei Nundinen*, i. e. *an den 3 nächsten Nundinae, diebus trinarum nundinarum, ut omnes Teurani audiant.* Illud: *durch öffentlichen Anschlag bekannt machen* senatus iubet vv. 26—27.

Ergo altera huius instrumenti pars in tria membra divisa haec fere iubet: **a)** edicta supra scripta in tribus contionibus proximis recitate; nolite ignorare senatus sententiam, eos qui posthac advervus illa edicta fecerint, capitali poena afficiendos esse; **b)** integram hanc epistulam (**A** et **B**) in tabulam aeneam incidendam eoque loco, ubi omnes Teurani facillime conspicere et legere possint, figendam curate; **c)** Bacchanalia, si qua in vestris finibus sunt, in diebus X proximis, quibus haec epistula vobis tradita erit, diruite praeter ea, de quibus supra (**A** **a** β p. 24) cautum est.

Membra coniunctione *atque* vv. 25, 27, eorum partes coniunctione *que* vv. 23, 27 copulantur.

De verbis in fine adiectis *in agro Teurano* cf. p. 14.

---

[10]) Promiscue scribas licet *iovsi* vel *iousi*, *novndinum* vel *noundinum*, nihil refert; neutra scriptura enuntiationem Romanorum aequat. Cf. cap. V.

E re esse duxi inscriptionem[11]) in singula enuntiata divisam repetere, quo facilius de membrorum argumento iudicetur. Quae quibus interstitiis in aere discernantur, lineolis transversis (—) indicavi. Fatendum vero est lubricam eorum esse rationem; in superiore parte tabulae scalptor Teuranus, ut aes omnia verba caperet veritus, spatio pepercit, litteras quoque minores, quam in inferiore incidit. — Litterae rectae meae inscriptionem reddunt, inclinatae supplementa atque emendationes.

1 Q. Marcius L. f., S(p). Postumius L. f. cos. senatum consoluerunt n. Octob. apud
2 aedem | Duelonai. Sc(ribendo) arf(uerunt) M. Claudi(us) M. f., L. Valeri(us)
P. f., Q. Minuci(us) C. f. —
3 De Bacanalibus quei foideratei | esent, ita exdeicendum censuere. —
4 Neiquis eorum *B*acanal habuise velet. — Sei ques | esent, quei sibei deicerent
5 necesus ese Bacanal habere, eeis utei ad pr(aetorem) urbanum | Romam
6 venirent, deque eeis rebus, ubei eorum v*erb*a audita esent, utei senatus | noster
decerneret, dum ne minus senatorbus C adesent, *quom e*a res cosoleretur.
7 | Bacas vir nequis adiese velet ceivis Romanus, neve nominus Latini, neve socium
8 | quisquam, nisei pr(aetorem) urbanum adiesent isque de senatuos sententiad,
9 dum ne | minus senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousisent.
Censuere. —
10 | Sacerdos nequis vir eset. Magister neque vir neque mulier quisquam eset. —
11 | Neve pecuniam quisquam eorum comoine*m* *h*abuise velet. — Neve magi-
12 stratum | neve promagistratu*d* neque virum *neque mul*ierem quisquam fecise
13 velet. | — Neve post hac *quisquam* inter sed conioura*se* *neve* comvovise neve
14 conspondise | neve conpromesise velet. Neve quisquam fidem inter sed dedise
15 velet. — | Sacra in *o*quoltod ne quisquam fecise velet. — Neve in poplicod
16 neve in | preivatod neve exstrad urbem sacra quisquam fecise velet, — nisei
17 | pr(aetorem) urbanum adieset isque de senatuos sententiad, dum ne minus
18 | senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousisent. Censuere.
19 20 | — Homines plous V oinuorsei, virei atque mulieres, sacra ne quisquam | fecise velet,
21 neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus | arfuise velent, nisei
22 de pr(aetoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad | scriptum est. —
23 Haice utei in coventionid exdeicatis ne minus trinum | noundinum, — senatuosque
24 sententiam utei scientes esetis. — Eorum | sententia ita fuit: sei ques esent,
25 quei arvorsum ead fecisent, quam suprad | scriptum est, eeis rem caputalem
26 faciendam censuere. — Atque utei | hoce in tabolam ahenam inceideretis, ita
27 senatus aiquom censuit; | uteique eam figier ioubeatis, ubei facilumed gnoscier
28 potisit. — Atque | utei ea Bacanalia, sei qua sunt, exstrad quam sei quid ibei
29 sacri est, | ita utei suprad scriptum est, in diebus X, quibus vobeis tabelai datai
30 erunt, | faciatis utei dismota sient — in agro Teurano.

---

[11]) Pag. 4 non recte versus 12 a margine distat; in aere versus 13 recedit. — Pag. 12 ad **13)** adnota, secundum Mommsenum et Ritschelium in versu 11 in VELET unam litteram L evanuisse. apud eosdem D in DE v. 8; Schmuzerus utramque expressit.

Excursus I (ad p. 6).
Quid sit carmen descindentes.

Eadem formularum aequabilitas suadet, ut in actis fratrum Arvalium anni CCXVIII verba quae ante carmen sollemne leguntur, apud Marinium *Atti* CLXI, apud Ritschelium tab. XXXVI, in C. I. L. VI, 2104: *ibi sacerdotes clusi succincti libellis acceptis carmen descindentes tripodaverunt in verba haec: enos Lases iuvate* .... emendemus.

Quid sit *descindentes*, nullus interpretum enucleavit, ut etiamnunc cum Marinio (p. 598) exclames: *Ma chi mi sa spiegare il descindere carmen?*

Nam quae Marinius respondet probatque Henzenus in editione sua p. 33: *Per me vale questo lo stesso che discindentes ... sarà egli il recitarlo λόγῳ καὶ ῥυθμῷ, dividendolo in numeri e in misure, e quasi spezzandolo* ..., ea vereor ne subtilius quam simplicius disputata sint.

Mommsenus C. I. L. I. p. 10 in interpretatione carminis cum Marinio *descindentes* putat esse *discindentes*, *discindentes* autem suspicatur esse *separare se a caterva, in partes ire*, ut qui canant discindentes, alterni et quasi hemichoriis cantent.

Sed verbo *scindendi, discindendi* vis quaedam ac violentia subest, pro qua noster locus simplicius aliquid postulat. Ac ne istud quidem mihi placet, quod *descindentes* idem esse volunt ac *discindentes*. Nam in actis anni LXXXIX est *descinderun(t)*, quod omnes consentiunt pro *descenderunt* accipiendum esse: *(in tetrastylum) descinderun(t)*. Si vero *descinderunt* idem est quod *descenderunt*, *descindentes* necesse est idem sit quod *descendentes;* si illa forma vulgaris fuit perfecti, haec non potest vulgaris forma eiusdem verbi participii praesentis non esse; atqui *carmen descendere, carmen descendentes*, absurdum est: ergo lapsus aut scribae aut scalptoris statuendus atque tollendus est emendatione. Quid multa? Conferas quaeso inter se acta annorum

CCXVIII	et CCXIX:
et aedes clusa e(st), omnes foris exierunt; ibi sacerdotes clusi succincti libellis acceptis carmen descindentes tripodaverunt in verba haec: enos Lases iuvate, enos Lases iuvate, enos Lases cet.	*et aed(es) clusa e(st), omn(es) foras exier(unt); ibi sacerdotes clusi succinct(i) libellis acc(eptis) car(men) dic(entes) tripodaver(unt).* [ipsum carmen ad hunc annum non iteratur.]
post tripodationem deinde signo dato publici introier(unt) et libellos receperunt.	*deinde signo dato publ(ici) introier(unt) et libell(os) recep(erunt).*

Apparet igitur, etiam in actis anni CCXVIII *carmen dicentes* reponendum esse. In eiusdem anni actis *per eodem Avitianum* est pro *eundem*, et *in cathedius consederunt* pro *cathedris*, et SACRIFLRO pro *sacrificio*. —

De ipso carmine ad aequabilitatem conformando Henrico Jordan (Kritische Beiträge zur Gesch. der lat. Sprache, p. 203 et 208) non assentior. Namque *Mamor* vel *Marmor*, quem quinta stropha invocat, ab etymologia tantum, non a cultu nobis idem esse potest, qui *Marmar* in stropha secunda; *Mamor* in extremo carmine invocatus, Semunibus posthabitus — id quod mihi gravissimi est momenti — est Mamurius, qui praemii loco a Numa petivit: *nomina extremo carmine nostra sonent* (Ovid. F. III. 390). Invento meo gavisus, cum Prellerus rem non perspéxisse videretur, iam Lanzium in litteris ad Marinium datis Ovidii versus vidi citavisse p. 603. — Ac ne in tertia quidem stropha ter *Marmar* puto scribendum esse. Nam non uno dei nomine, sed varia indigitandi ratione opus est.

Excursus II (ad p. 10).
De litterarum k et c usu.

Offendit nuper Theodorum Mommsenum, Aemilium Huebnerum, alios viros doctos inscriptionum quarundam in litterarum *k* et *c* usu inconstantia (Ephem. epigr. III. p. 168) atque ambiguitas (ibid. p. 332). Namque hanc in partem interpretantur, quod in lege metalli Vipascensis, anno 1876 in aerifodinis vetustis Lusitaniae meridionalis effossa, quae saeculi post C. n. primi vergentis videtur esse, in *kalendis* vv. 17, 20, 50 et *kapitibus* vv. 17, 20 littera *k* scripta sit, sed *capita* et *capitularium* vv. 12, 13; in *titulo P. Lucilii Gamalae*, Ostiae prope Romam circa annum 1570 detecto, qui saeculo secundo post C. n. exeunti tribuitur, *Volkanus* et *Volcanus*.

Equidem non id mihi sumo, ut
eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
ut contra si quis sentiat, nil sentiat,

sed veri tamen similiora esse ratus haec, quae ipse observavi, in medium proferam.

A. Nimirum in tabulae, quae legem metalli Vipascensis continet, antica parte est *capite* v. 8, *capita* vv. 12, 13, *capitularium* v. 12, *k* (= capita) v. 17, *k* (= calendas) vv. 20, 50; in postica *capita* vv. 2, 3, *capitularium* v. 2, *k* (= capita) v. 8, *kal.* et *ka*..., hoc eo loco ubi scriptura evanuit, vv. 11 et 42 (= calendas.)

Neque in titulo Ostiensi *Volkanus* et *Volcanus* legitur, sed Lucilius ille Gamala, qui AED · SACR · VOLK i. e. *aed(ilis) sacr(is) Volk(ani)* fuit (v. 4), AEDEM · VOLCANI · RESTITVIT (v. 21).

In fastorum fratrum Arvalium C · I · L · VI · 2295, 23 lectione dum haereo, sciscitanti mihi Henzenus humanissime rescripsit, recte me dubitavisse; *es steht*, haec sunt summi viri verba, *unzweifelhaft* VOLK *in Rasur;* ipsius vero dei nomen eidem illorum fastorum diei plenum VOLCANO adscriptum est.

Constat hos fastos fratrum Arvalium ante annum 13 post C. n. exaratos esse. De tempore, quo liturae rescriptae sint, viri docti dissentiunt. Neque tamen controversia meae ratiocinationi obstat. Sive enim Augusti aetati lituras tribuis cum Mommseno, sive cum Henzeno Claudii: manifestum habemus de scribendi ratione optimae aetatis testimonium.

Quid quod in iisdem fastis eodemque loco mercatus dies MERK notatus fuit? Item in fastis Maffeianis mensis Iulii (p. 631, 14—19) sexies, Septembris (20—22) ter, Novembris (18—20) ter; in Amiterninis (C · I · L · I · p. 324) mensis Iulii (15—19) quinquies, Novembris (18—19) bis. Unde summa, si computas, viginti locorum conficitur; ne uno quidem eorundem fastorum loco *merc* neque *merkatus* scriptum est. Antiates autem (C. I. L. I. p. 328) mensis Iulii (15) et Novembris (18) plene *mercatus* scribunt, itemque Vallenses (p. 320) mensis Septembris (20—22) ter, nisi quod fissura lapidis extremas litteras TVS absumpsit. Antiates aetatis sunt Claudii, ceteri fasti Augusti.

In fastis Praenestinis (annorum 2 ante C. n. — 9 post C.) mensis Ianuarii (11 et 15) Carmentalia semel KARM, semel spatio deficiente KAR notata sunt, sed nomen deae dandi casu CARMENTI perscriptum fuit (C. I. L. I. p. 312).

In iisdem fastis Praenestinis mensis Ianuarii CALENDAE, bis CALENDAS (1, 2, 14) legimus, sed K notam calendarum mensis Martii et Aprilis. Neque unus fastorum Praenestinorum scriptor vel scriba ita litterarum C et K usum distinxit, sed complures eadem aetate. Cf. CALENDIS · IANVAR(is)

C. I. L. VI. 458, qui titulus est anni 8 ante C. n, et K. IANVAR(is) I. R. N. 6764, anni 4 ante C. n.[12]).

Anni 49 ante C. n. est lex Rubria, e qua Huebnerus C. I. L. I. p. 607 et Corssenus, *Aussprache* I. p. 9 *kaussa* afferunt, sed in hac lege I. v. 9 litterae k. k. notae tantum sunt, quae *calumniae caussa* significant; ipsum autem vocabulum CAVSSA in eadem lege II. 10, ubi plene scriptum est, litteram C habet.

Quodsi libri scripti orationis pro S. Roscio XX, 58 Halmio teste haec praebent: *litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam calomnis* vel *cal. omnes* vel *calonnus* vel *calumniis* vel *eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent*, apparet Halmium haud recte *Kalendas omnes* edidisse; librorum vestigia antiquam scripturam *calendas* testantur. Calumniatores enim, quibus K notam ex lege Remmia inustum iri sperat Cicero, calendas, quibus solvere debent pecuniam datam numeratam, eam ob causam fingit odisse, quod K littera is dies perinde ac *calumniator* vocabulum notetur[13]), non quod sic notetur alterum, alterum vero ab ea incipiat.

Sed redeamus ad inscriptiones. Si ad inperatorum aetatem descendimus, tabula alimentaria Ligurum Baebianorum anni 101 p. C. n. I. R. N. 1354 habet *casa* col. II. 14, 25, 54, 60, III, 28, 39, 59, sed eius nominis notam K col. III. 53. Quae interpretatio confirmatur Volceiano lapide I. R. N. 216, anni p. C. n. 323, ubi col. II. 9, 10, III. 10 est *k. Oppiana, Postumia, Corviana.* Lineola transversa superposita designat *k(astrensem) modium* in edicto Diocletiani de pretiis rerum venalium C. I. L. III. p. 805, ubi tamen *capita, capitali, carius, caritas* plena vocabula *c* litteram constantissime servaverunt.

Ne multa: demonstravisse videor, inde a novissimis liberae reipublicae temporibus usque ad quartum p. C. n. saeculum aliquot scribas a litterae *k* usu in integris verbis prorsus se abstinuisse, toleravisse eam, si notae loco esset. Iam igitur existimare possumus de scriptura XVIR·SL·IVDIK in epitaphio Cn. Cornelii Scipionis Hispani, qui anno 139 ante C. n. praetor peregrinus fuerat (C. I. L. I. 38): ad scripturam IVDIKANDIS, IVDIKARE illi aetati addicendam minime valet; cave de ea re Corsseno credas.

B. Separatim tractandae nobis eae sunt inscriptiones, quae etiam plenis verbis litteram *k*, sive omnibus, quae nobis a *ca* incipiunt, promiscue, sive paucioribus quibusdam selectis adhibent. Ne genetivus quidem nominis, quod nobis est *arca*, a *k* littera tutus fuit: ARKAE I. R. N. 6824.[14]) Fuit etiam, quem poeniteret *c* litteram incidisse; addidit *k* in ARCKAR(ius) I. R. N. 929. Nam inferiori demum aetati hoc fuit *archarius.*

Omnis autem illa scripturarum varietas non ad scribarum tantum neque scalptorum arbitrium potest revocari; immo magna ex parte pendet a sectis grammaticorum.

Sed hanc excursus particulam, quoniam amplius sibi spatium poscit, observationum parti II. licebit reservare.

---

[12]) Dubitationem movet Mommseni lectio legis agrariae fragm. D v. 2 extr. (200, 63; cf. p. 104): *kal.* Aere denuo inspecto opus est. Anno 111 ante C. nullus scriba hac nota pro ea, quae in omnibus fastis tradebatur *k*, videtur usus esse; in fragm. B 21 eiusdem legis, cuius lectio certa est, habes *k. Octobris.*

[13]) Notarum ambiguitas ingenia facetorum hominum exercebat. Cic. de or. II. 280: *movent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter, atque sunt, sed acute et concinne.* Litteras A·F·P·R· in tabulis P. Rutilii Scaurus dixit declarare: *actum fide P. Rutilii*, Rutilius: *ante factum, post relatum*, Canius: *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

[14]) Apparet tum temporis nondum nostro more *arzae* enuntiatum esse. Quin etiam *καὶ* latinis litteris *cae* reddiderunt I. R. N. 6: AGATHOKLESOCAERODIOS; *ὁ καὶ* est *qui etiam Rodios vocatur.*

Excursus III.
De coniunctione quod cum indicativo et coniunctivo constructa.

Inscriptionum orthographia et declinatio nominis verbique hodie iam in triviis decantatur, syntaxis fere inculta iacet; quapropter grammaticos eam spero veniam daturos esse, ut ad peculiarem quendam subiunctivi et indicativi usum digrediar.

Causa, quae aliquem moverit, ut aliquid dedicaret vel donaret vel omnino aliquid faceret, in longe plurimis inscriptionibus aut praepositione *ob* aut coniunctione *quod* exponitur; passim vero oratio ita conformatur, ut eas consociet. Si qua enuntiata relativa, quam structuram infra littera **D** significavi, praepositioni explicationis causa subiunguntur, ea semper proferuntur indicativo, ut dubitandi locus, ex cuius mente sententiaque aliquid dictum sit, nullus relinquatur. Incredibilis autem est inconstantia modorum, qui ex coniunctione *quod* pendent. Cum grammatici nostri, velut Draeger, *historische Syntax der lat. Sprache*, II. § 530, rem nullo verbo tetigerint, nonnulla diversorum generum exempla congerere haud supervacaneum visum est.

A. Quod cum coniunctivo praesentis, perfecti, plusquamperfecti.

a) I. R. N. 2530. *L. Licinio . . Augustales ob perpetuam et plurifariam munificentiam eius et quod res negotiaque eorum integre administret* (anni 165 p. C. n.)

I. R. N. 4877. *Titio Fabio Severo ob merita eius domi forisque et quod quinque feras Africanas dederit, ordo civesque statuam tribuerunt.* C. I. L. II. 7881. *M. Aurelio Masculo ob eximiam praesidatus eius integritatem et quod aquae usum cursui pristino reddiderit.* Orell. 2545. *T. Anchario . . Huic primo II. vir. biga posita ob eximias liberalitates et abundantissimas largitiones et quod ex indulgentia Aug. octies spectaculum gladiator. ediderit.* C. I. L. II. 1120. *C. Vallio respublica Italicensium ob merita et quot provinciam Baeticam caesis hostibus paci pristinae restituerit.* Titulus est aetatis M. Aurelii. Anni 193 est I. R. N. 4040: *C. Titio . . Huic ordo decurionum, quod munus familiae gladiatoriae ediderit, honorem biselli et filio eius ob merita patris honorem decurionatus decrevit. Ordo decurionum et Augustalium et plebs universa.*

b) *Quod* praepositioni *ob* illis locis coordinatum est, subiunctum his:

C. I. L. VI. 1872. *Ti . Claudio, patrono corporis piscatorum ob merita eus, quod ei corpori donaverit HS X. mil. n.* (p. C. n. 206). Rénier, inscr. Rom. de l'Algérie 4064. *L. Fadio Rusgunienses et Rusguniae consistentes ob merita, quod frumentum intulerit et annonam passus non sit increscere.* I. R. N. 1576. *Dis manibus Calhemerae. Huic dominus ob merita eius et probitatem, quod eum pleno adfectu dilexerit, fecit* (sc. monumentum). Ibid. 5020. *Flavio Iulio Innocentio . . . ob merita praeclaro, quod ordinem populumque proxumo semper favore dilexerit, foverit, iuverit, defensarit, ordo et populus Aeserninus.* Fortasse inscriptio ad **c)** pertinet.

Similis est structura *erga . . quod, causa . . quod:* Or. Henzen III. 7190. *M. Aurelio Sabiniano Augustorum liberto senatus populusque Anagninorum erga amorem patriae et civium, quod thermas sua pecunia restituerit.* C. I. L. V. 5343. *Memoriae Fabianae coniugis et Vitalinae filiae Providentius intimi doloris et adfectionis causa, quod absente se ambae eadem hora sint horis exemptae.*

c) Coniunctio *quod* saepius sola ponitur, velut C. I. L. VI. 955, anni 103: *Imp. Caesari Traiano tribus XXXV, quod liberalitate optimi principis commoda earum ampliata sint.* 1474, aetatis Traiani: *Numerio . . . quod enisus sit., quod institerit et quod . . . adiuvet.* 971, anni 129: *Imp.*

Caesari Hadriano collegium victimariorum, quod, cum commodis eorum inpugnaretur, liberalitate eius restituta sint. 974, anni 135: (*senatus populusque*) *R*(*omanus*) *imp. Caesari Hadriano,* (*quod rempublicam ab hos*)*te liberaverit.* Quae uncis inclusi, nemo in fragmento legit, sed scripta fuisse editores coniiciunt. In aliis titulis, quos infra sub **B** afferam, senatus populusque Romanus *quod* cum indicativo construunt. Sed conferas 1377 = III. 1457 post annum 171: *M. Claudio Frontoni . . . Huic senatus auctor[e] imperatore M. Aurelio . ., quod pro r. p. fortiter pugnans ceciderit, armatam statuam pecunia publica censuit ponendam.* Quae dum lego, venit mihi in mentem senatusconsulti, quod Cicero concepit Phil. IX, 7, 16: *Quas ob res ita censeo: . . . senatui placere Ser. Sulpicio statuam pedestrem aeneam in rostris ex huius ordinis sententia statui, quod is ob rem publicam mortem obierit, eamque causam in basi inscribi,* ubi tamen oratio obliqua prohibet, quominus quidquam de subiunctivi ratione affirmemus; nescimus igitur, quem modum in ipsa basi Cicero scribi voluerit. — Sed redeamus ad superstites inscriptiones: Kellermann, Vigilum Rom. Latercula, 246: *Q. Petronio . . . ordo et cives Tarquiniensium patrono optimo, quod rem p. foverit et thermas restituerit.* (circa aetatem Alexandri Severi). I. R. N. 4550, circa 315 p. C.: *C. Vettio . . ordo populusque Atinas, quod in correctura eius, quae saevissimam tyrannidem incurrerat, nullam iniuriam sustinuerit.* Mutilus est titulus C. I. L. VI. 1708, annorum 332—37: *Ceionium . . . senatus ex consulto suo, quod — decreverit.*

Multo plures sunt, quorum aetas non indicatur. Pauca exempla infra posui. Marini, Atti 402: *quod . . . annonam sufficientem praestiterit.* I. R. N. 1955. *N. Plaetorio populus Abellanus, quod auxerit ex suo ad annonariam pecuniam et vela in theatro dediderit.* 4149. *quod curam muneris publici splendide administraverit.* 4618. *quod formam aquaeductus restituerit.* 4093. *quod is testamento suo . . . . legaverit.* Iahn, Specimen 114: *P. Horatio . . Seviri Augustales statuam ei ponendam decreverunt, quod is arcae eorum HS . . . dederit.*

C. I. L. V. 3221: *Deo magno aeterno L. Statius Diodorus, quot se precibus compotem fecisset, v*(*otum*) *s*(*olvit*) *l*(*ibens*) *m*(*erito.*) II. 3586 (*quod*) *frumento praebito civibus suis subvenisset.*

Maxime memorabilis est inscriptio Romana Or. 1175, cf. Henzen p. 1175: *M. Antonius Encolpus fecit sibi et . . . libertis . . . excepto M. Antonio Athenione, quem veto* (oratio transit in primam personam) *in eo monimento aditum habere, neque sepulturae causa reliquias eius inferri. Quod si quis adversus hoc fecerit, poenae nomine . . . . inferre debebit, ideo quia* (sc. Athenio) *me pos multas iniurias parentem sibi amnegaverit, — et A. Lelio; quem boluerit sarcofagum eligat sibi* (*pr*)*opter quod in tam mana clade me non reliquerit.* Vulgares sunt formae *pos, amnegaverit, boluerit,* fortasse etiam *mana.*

B. Quod cum indicativo praesentis, perfecti, plusquamperfecti.

Eckhel, d. n. VI. 105, Cohen, médailles impériales I. p. 61—62 et VII. 11 nummorum anni 16 ante C. n. hanc referunt epigraphen:

S·P·Q·R·IMP·CAES·QVOD·VIAE·MVN·SVNT·

i. e. *senatus populusque Romanus imperatori Caesari, quod viae munitae sunt.*

In aliis nummis eiusdem fere anni apud Cohen I. 81 est:

I·O·M·S·P·Q·R·V·S·PR·S·IMP·CAE·QVOD·PER·EV·R·P·IN·AMP·ATQ·TRAN·S·E·

i. e. *Iovi optimo maximo senatus populusque Romanus votum suscepit pro salute imperatoris Caesaris, quod per eum res publica in ampliore atque tranquilliore statu est.*

C. I. L. V. 7817, anni 7—6 ante C. n. inscriptio tropaei Alpium: *Imp. Caesari Divi f. Augusto s. p. q. R., quod eius ductu auspicisque gentes Alpinae omnes, quae a mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium p. R. sunt redactae.* C. I. L. VI. 944: *Senatus populusque Romanus imp. Tito Caesari, quod ... gentem Iudaeorum domuit et urbem Hierusolymam delevit.* Ibid. 1193:

5

Imp. Caes. Flav. Constantino s. p. q. R, quod .... rempublicam ultus est, arcum .. dicavit. Cum igitur senatus populusque Romanus *quod* cum indicativo construant, in titulo C. I. L. VI. 920 non licet *quod* — (*acceperit*) (*redegerit*) scribere; mutilatam inscriptionem credendum est olim haec habuisse: *Ti. Claudio ... senatus po(pulusque) Ro(manus q)uod reges Brit(tanniai in deditionem accepit) gentesque b(arbaras trans Oceanum) primus in dici(onem populi Romani redegit).*

C. I. L. VI. 931. *Imp. Caesari Vespasiano s(enatus)c(onsulto), quod vias urbis inpensa sua restituit.*

Ex titulis non a senatu vel senatu populoque Romano, sed ab aliis ordinibus aut a privatis hominibus positis neque multi indicativo utuntur, neque vero tam pauci, ut eum modum ab iis abiudicare liceat. Velut I. R. N. 3599: *C. Clodio ... quod ex reditu ... legato a Clodis (a Clodiis) rei publicae Campanorum viae tutela praestatur.* C. I. L. VI. 1735: *Iulio Agrio ... ob egregia eius in se merita, quod illis ... praelucet, nobilissimus ordo statuam ob merita eius decrevit. Primus agens cum suis ...* Ille *primus agens* videtur nomen suum infra scripsisse et de ordine, qui statuam decrevit, narrasse, causam autem, cur statua posita sit, non ad ordinis iudicium refert coniunctivo, sed indicativo rem certam declarat.

I. R. N. 2568. *Sextiae monumentum publice factum d(ecreto) d(ecurionum), quod ea munifica erga coloniam fuit.* 4063. *Huic ordo statuam ponendam censuit, quod et in singulos et universos ... reverentiam praebuit* 4209. *Huic ordo et universus populus ob merita et labores eius honorem biselliatus obtulerunt, quod opera thermarum restituit exornavitque* cet. Cf. C. I. L. II. 2782, 3270, III. 75, Guérin, voyage arch. dans la régence de Tunis II. N. 233, Or. 1523, 3726 cet. I. R. N. 2096, C. I. L. II. 5063.

C. Modi nonnunquam confunduntur.

C. I. L. VI. 1736. *Iulio Festo Hymetio ..... ob insignia eius in rem publicam merita et quod integre in eadem provincia versatus est, quod neque aequitati neque iustitiae defuerit, quod studium sacerdotii restituerit...* Titulus est saeculi IV. p. C. n. exeuntis. Sed iam primo et altero saeculo in actis fratrum Arvalium modi promiscue scribuntur. Velut anno 81 *piaculum factum est, quod arbor a vetustate decidit;* anno 90: *expiatam arborem ob vetustatem, quod decidit;* anno 101: *arbores expiatae, quod vetustate vel vi maiori deciderant.* Contra anno 87: *quod ramus ob vetustatem deciderit;* anno 224: *quod ab ictu fulminis arbores attactae arduerint et in eo luco sacro aliae sint repositae;* anno 183: *quod in fastigio aedis ficus innata esset.*

D. Membra relativa.

Proclive est suspicari, coniunctivi, qui ex coniunctione *quod* pendet, hanc esse causam, quod ipsae inscriptiones eos, qui eas conficiunt vel ab aliis confici iubent, tertiae personae loco habeant. Idcirco ab hac quaestione non alienum esse putavi attendere, uter modus membris relativis, quae praepositioni *ob* subiunguntur, eadem aetate adhibitus sit. Subiunctivum nusquam legi, indicativum saepissime, velut I. R. N. 4617: *ob merita, quibus statum iam conlapsum reparavit.* 1429: *ob insignia beneficia, quibus longa populi taedia sedavit.* 4620: *ob insignia eius in rem publicam bene gesta et ob recordationem omnium beneficiorum, quae a maioribus eius civitati sunt praestita.* C. I. L. VI. 1089: *ob divinam pietatem eius et iudicium, quo munificentiam suam probavit.* De I. R. N. 5373 non liquet.

Item alia membra relativa, quae talem causam indicant, indicativo utuntur, neque solum, si senatus populusque Romanus loquuntur, velut C. I. L. VI. 967: *Imp. Caesari Hadriano, qui .. cives suos .. praestitit securos,* sed in quovis inscriptionum genere. ut I. R. N. 4768: *qui gladiatorum paria XX edidit,* quocum conferas 4877: *quod quinque feras .. dederit.*

De necessitudine, quae inter coniunctionem et pronomen *quod* intercedit, cf. Henr. Jordan, Kritische Beiträge p. 336 sqq.

Pag. 3 post *Principe*, inseras: *iuniore Joh. Baptista, illius nepote,*

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Theologiam pastoralem docebit quinquies per hebdomadem hora VIII.
II. Ius matrimoniale tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora IX.
III. De hymnologia Christiana disseret diebus Martis et Iovis hora IX.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam primaevae ecclesiae enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis hora IV.
II. Antiquitates ecclesiasticas tractabit diebus Veneris et Saturni hora IX.
III. De arte Christiana disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. Praemissa introductione doctrinam de Deo ejusque attributis ac de S. Trinitate exponet quinquies per hebd. hora X.
II. Linguae hebraicae grammaticam una cum exercitiis interpretatoriis docebit ter per hebd. hora II.
III. Vel linguam gothicam docebit vel scholas fennico-hungaricas habebit semel bisve per hebd. hora designanda.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Vaticinia Isaiae interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. Evangelium Iohanneum explicabit ter per hebd. hora VIII.
III. Antiquitates Hebraeorum tradet bis per hebd. hora II.

Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem quae dicitur generalem tradere perget; qua absoluta de virtutibus theologicis disseret quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet semel per hebd. hora XI.
III. Literaturam apologeticam ecclesiae primaevae docebit horis deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Physicam experimentalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Iovis hora XI.
II. Astronomiam popularem exponet diebus et horis assignandis.
III. Geometriam sublimiorem analytice expositam tractabit diebus Martis et Veneris hora XI.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae medii aevi partes praecipuas enarrabit ter per hebd. h. VIII.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. h. VIII.
III. Selecta historiae linguae theodiscae capita tractabit semel per hebd. h. VIII.
IV. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebd. hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Inscriptiones christianas tractabit bis hebdomade hora IX.
II. Sophoclis Antigonam interpretabitur bis hebdomade hora IX.
III. Res sacras Graecorum enarrabit h. d.
IV. Exercitationes latine scribendi et disputandi instituet h. d.

Dr. Jos. Krause.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Repetitiones philosophicas moderabitur semel per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Lic. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**